



AB
38 ¹⁴/_{W, 17}



C. e. 79

Original Typset

01
G. a. M. s.

~~2 N 62~~

II 2 c 62



6
ORATIVNCVLA
DE REVEREN-
DISSIMA ET GENERO-
SISSIMA DOMINA ANNA, PIAE
memoria, Collegii Quedlingburgensis Ab-
batissa, Comitissa Stolbergense: & de histo-
riis quibusdam sub initium repur-
gate doctrinae caelestis Qued-
lingburgi factis.

Adjecta est Historia Ionæ Pros-
phetæ, Heroico metro explicata: &
alia quædam Epigrammata.

Autore

M. MARCO SCVLTEO
Pastore Quedlingburgense.

VITEBERGÆ
In Officina typographica Simonis Gronenbergii.
1 5 8 1.

DE KEWERN
DITTE AET GENEES

...
...
...
...
...
...
...
...
...
...

...
...
...
...

...
...
...
...

...
...
...
...
...
...
...
...
...
...



A M P L I S S I M I S
P R V D E N T I S S I M I S
què viris, Dominis Consulibus &
Senatoribus Reipublicæ Quedling-
burgensis, Dominis suis sum-
ma semper observantia
colendis.

Rodeſt omnibus in-
genii viribus & tota
mente, patres conscri-
pti, viri prudentia et
virtute conſpicui, in
id cura incumbere, ut cogitemus
quotidiè quis ſit finis hominis: Eò
enim reſpicere, & eas curas ſub pe-
ctore volvere, maximas inducit
utilitates, iſtud negligere aut oſci-
tante cogitare, eſt, non hominem
A 2 eſſe,

esse, sicut reperias multos, qui parum aut omnino nihil solliciti de talibus sunt, qui in diem tantum vivunt; Ipsi quid aliud sunt, quam Epicuri de grege porci? Consensaneum autem est, preclarissimum illud inter omnes Dei creaturas figmentum, hominem scilicet, non frustra conditum esse, aut frustra in hunc mundum, ut vita tantum, beluarum more, fruatur, positum esse. Oportet igitur ut ad altiora aspiremus, ea scilicet indagando, que ad vitam proficiant eternam, cui destinatus homo est ab initio, ut vivat scilicet, perpetuo Deum collaudans: non ut memoria

DEDICATORIA

moria ejus, tam in hac quam in altera vita, obliteretur aut evanescat prorsus. Respicienda igitur potissimum altera illa vita, quae verè beata censenda est, cum hac sit fluxa & caduca. Notæ sunt D. Petri & Pauli sententia, quibus nos in hac vita peregrinos & advenas appellant imagine & similitudine dulcissima. Sicut enim peregrini, apud exteros commorantes, si vel maximis ibidem fruantur delectamentis, nihil aliud cogitant tamen, quam ad suos ut redire, & domi cohabitare domesticis suis possint: Ita nostrum πολίτευμα in cælo



EPISTOLA

cum sit, Et hic peregrinemur tantum, nocte dieque id cogitemus sedulo, hospitium huius mundi fugitivum ut relinquamus, Et patriam petamus perpetuam, ibique cum domesticis et convictoribus nostris, beatis angelis, et hominibus electis, nunquam peritura fruamur gloria.

Sed quomodo nos homunciones miseri Et peccatis obnoxii ad tantorum bonorum commoditates asurgere poterimus? Monstrat nobis viam salvator noster Christus, dum inquit: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum Et quem misisti Iesum Christum. Item: Ego sum via, vita
ta

DEDICATORIA

ta & veritas. Hæreat itaq; in memoria nobis dictum Pauli: Vivere mihi Christus, & mori lucrum. Vita nimirum nobis Christus est, qui ipse creator omnium, hominem finxit animam viventem, & in ipso sumus, vivimus & movemur, Ipse est vita nostra & longitudo dierum nostrorum.

Formavit quidem Deus hominem ad vitam, sed proh dolor decus tantum amisit homo lapsus in horrenda peccata, ita ut de vita deturbatus morti sit traditus omnino. Hic perituris nobis vita est Christus, qui ab orco nos retraxit suo sanguine mundans, &

A 4 potestatem

EPISTOLA

potestatem concedens filios Dei fieri, ideoque à patre aeterno ad filiorum adoptionem assumimur.

Nihilominus tamen vita cum morte commutanda est, & omnibus commoriendum. Etiam tunc certò statuimus, Christum esse nobis vitam, qui abolita morte vitam nobis restituet, ex morte nos resuscitaturus, sicut dum in hoc mundo vixit, fidei nostrae corroborandae gratia ex morte revocavit quosdam. Nec hoc nobis sufficit, ita Christum vitam nobis esse, ut reviviscamus tantum, multi .n. resurgent in die novissimo, ut potius optarent se nunquam fuisse in
rerum

DEDICATORIA

rerum natura, cum impii cruciati-
 bus objicientur perpetuis. Hic
 tandem consolatio nobis est maxi-
 ma, Christum vitam nobis esse,
 cum aeterna beatitudinis & gau-
 diorum faciat nos heredes. Vides
 quantum bonum à Christo acce-
 perimus & accepturi simus, &
 quomodo Christus nobis sit vita.
 Verum iis commoditatibus non
 fruuntur, nisi illi, qui Christi fideles
 omnem spem in ipso ponunt, & ci-
 ves sunt Ecclesiae suae. Deus equi-
 dem omnes homines hereditatem
 caelestem consequi vult, idq; jura-
 mento confirmat. Ideoq; colligit
 sibi Ecclesiam ab initio ex toto ge-

EPISTOLA

nere humano, mittit verbum su-
 um & adest Evangelizantibus
 virtute multa. Nec tamen salu-
 tis viam agnoscere aut in ea ingre-
 di possumus, nisi Christo duce &
 viam monstrante, sicut inquit ipse:
 Nemo novit patrem nisi filius, &
 cui filius voluerit revelare. Ideo
 doctrinam hanc salvificam conser-
 vat, collapsam & tenebris obscu-
 ratam instaurat et repurgat, mit-
 tens Ecclesie sue organa salutaria,
 ut verissimum credamus dictum:
 Ecclesia sicut castrorum acies ordi-
 nata est. Ibi enim cum unus cur-
 riculum suum absolvit, alter sub-
 rogatur, ne unquam deficiant, qui
 Christo

DEDICATORIA

Christo Pastori oves adducant.
Filius nimirum Dei semper adfu-
it Ecclesie sue, fundando, colli-
gendo, & conservando ipsam.

Ita etiam nostro seculo cum col-
lapsam jam et tenebris obductam
CHRISTI doctrinam repurga-
verit Deus, & quasi ex orco re-
traxerit per organon illud su-
um (pia memoria) Lutherum,
etiam nostri temporis calamita-
tibus affici se ostendit, & velle se
etiam nostri seculi homines salvos
fieri. Toto itaque pectore gra-
tias agamus DEO omnipoten-
ti, pro tantis beneficiis, revelatio-
ne videlicet sui verbi: & saluber-
rimus

EPISTOLA

rimū Christianæ Philosophiæ studium exosculemur, atq; Evangelicis literis legendis, meditandis, cognoscendis, si non solam, saltem primam curam tribuamus. Verū querela est in mundo jam dudum agitata, & multis seculis iterata, quæ si unquam justa fuit, certè hoc tempore justissima est, Mundum scilicet tantam rem tam negligenter agere.

Id agitur inter mortales diligentissimè, ut ardentissimis animis in sua quisq; studia incumbat. Philosophorum olim discipuli, suæ quisq; sectæ dogmatibus imbuti, cognita ea habuerunt & perspecta
penitus

DEDICATORIA

penitus, memoria repetentes sapif-
 simè, emorituri citius quam sui
 auctoris patrocinium deserturi. Et
 multa sunt in istorum professioni-
 bus, quæ nec cognita felicem, nec
 ignorata reddunt infelicem. No-
 stra hæc professio ea est, quæ verè
 facit beatos & felicissimos, & ta-
 men videmus eam à multis ride-
 ri, à plerisque negligi, à paucis tra-
 ctari, sed tamè frigidè. Multi qui
 sapere sibi, & intelligere res The-
 ologicas videntur, nec parum sibi
 sumunt iudicii in dijudicandis cõ-
 troversis, re ipsa contemptores ver-
 bi esse deprehenduntur (sermo nimi-
 rum character est animi) cum si-
 nistrè

EPISTOLA

nistrè saepe, praesertim apud suos
 complices, de dogmatibus, & piis
 verbis divini praeconiis loquan-
 tur, & quicquid in buccam ipsis
 venit effutiant & garrant, ho-
 mines illi plus quam futilissimi:
 cum tamen interea exemplo pie-
 tatis, candoris, gravitatis & con-
 stantiae alios longè praecellere sibi
 videantur, atq; etiam tales habe-
 ri, & à singulis predicari velint.
 Eò enim res rediit hodie, ut res il-
 la maxima, unde animarum salus
 aeterna dependet, quas summa cum
 reverentia & pietatis zelo, et me-
 ditari & tractare debebamus, fri-
 volè tractetur, & carmen illis sit
 Musicum

DEDICATORIA

Musicum, ut cum Propheta lo-
 quar, quoties vino inebriati na-
 sutuli illi quid garriant & quid
 agant nesciunt. Eum in modum
 etiam Des: Erasmus, sui seculi pe-
 tulantiam, inscitiam & perplexi-
 tatem deplorat. Tum enim tempo-
 ris quæ optima illis visa est Theo-
 logia, maximè perplexa, & So-
 phistarum labyrinthis intricata
 fuit. Ridet enim eos quos. Sophi-
 stas Theologos vocat, & elegan-
 ti joco consentaneum esse ait: Epi-
 menidis Cretensis Theologi ani-
 mam, juxta Pythagoræ μετεμψύχο-
 σιν in Sophisticos illos homines &
 vaniloquos demigrasse, qui tan-
 tum

EPISTOLA

tum inanium somniorum & di-
 sputationum in mundum invexe-
 runt, tantum ingeniorum suorum
 acumen ostentare volentes, unde
 verè piis nihil accedit emolumen-
 ti.

Prætereà multi sunt hoc tem-
 pore, si quando ipsis de tenebris &
 præstigiis prioris seculi dicitur, qui
 non credant, aut persuaderi sibi pa-
 tiantur, fuisse unquam tantas te-
 nebras aut tantam barbariem,
 perfusi nimirum jam luce illa
 meridiana, tenebras Ægyptias
 non agnoscunt. Prodest igitur
 majorum nostrorum historias &
 exempla in conspectu habere, & ea
 junioribus proponere. Ego

DEDICATORIA

Ego itaq³, patres conscripti,
ut gratam mentem Deo probem,
collegi historiolas quasdam in no-
stra urbe factas, unde progressum
verbi Dei apud nostrates intelli-
gere, & ardorem majorum no-
strorum & pium zelum agnosce-
re possumus. Externa virtus ad
benè & piè vivendum instigat, sed
domestica exempla plus movent.

Eam qualemcunq³ meam o-
pellam, vobis patres conscripti,
dedicare volum, cum sciam quos-
dam inter vos ad huc superstites
esse, qui earum rerum sunt conscii,
quibus & gratissimam esse scio
harum rerum recordationē, quan-

B . quam

EPISTOLA

quam decrescat numerus senio-
rum, qui eam attigerunt etatem.
Ego quoque, cum huc veni (pu-
er admodum) una cum parente
meo, qui mortuo Bethmanno, cu-
jus mentionem in nostra oratiun-
cula fecimus, & remoto sacrificu-
lo Pontificio Iohanne Genth, ex
Magdeburgo huc vocatus Beth-
manno successit, & Pastor fuit
Ecclesie Neopolitane ad annos
aliquot, cum tunc historiola haec in
ore esset omni populo, rumore cer-
to & constante comperi, & repeti
ab eo tempore multoties audiui.

Gratias itaque agamus Deo o-
mnipotenti quam maximas, &
ma=

DEDICATÒRIA

majorum nostrorum vestigiis in-
sistentes Zelo pro erga verbum
DEI ardeamus, & ad posteros
quoq; transmitterse studeamus de-
siderio maximo. Valeat pruden-
tia vestra, patres conscripti, in Do-
mino quàm felicissimè, & me ve-
strum in Dei verbo ministrum
commendatum vobis habete. Da-
ta Quedlingburgi 24 Feb: ipso die
Matthiæ Apostoli, Anno 1581.

Marcus Scultetus Neopbli-
tanæ Ecclesiæ apud Qued-
lingburgenses Pastor.

B 1

ORATIO

DE REVERENDA
ET GENEROSA PRIN-
cipe D: ANNA, Collegii Qued-
lingburgensis Abbatissa, pia me-
morie: Et de historiis qui-
busdam sub initium repur-
gata doctrinae caelestis
Quedlingae
factis.



Vanta Dei bonitas & a-
mor, clementia quanta
sit erga genus humanum
vel inde aestimari poterit,
quod sapientissimus ille
rerum opifex & creator
omnium, non tantum de vivendi, sed
multo magis, de bene vivendi ratione
prospexerit hominibus. Vita ut sus-
sten-

ORATIO

stentetur, victum, vestitum, & reliqua nobis paravit, collocans hominem in Paradisum vel potius mundum hunc universum, quasi penu instructissimum, ut quocunque se vertat homo, com meatum sibi parare possit uberrimum. Manifestum autem est, vitam hanc, quæ cum pecudibus homini communis est, non esse eam quæ verè vita vocanda est, ubi cibo & potu in sanguinem nutritivum digesto recreantur & aluntur humana corpora, nisi in Epicuri sententiam pedibus ire voluerimus, & eam spectare sectam potius, quæ in hujus vitæ voluptatibus atq; illecebris omnem spem & salutem ponit. Sed eam verè vitam censendam esse nemo non videt, quæ virtutibus innitens non tantum pecorum more de ventris repletione sollicita, majora appetit, quam ea quæ terrena sunt. Virtutibus quam proximè ad Deum accedere homines, etiam ex gentibus qui fuere sapientiores

B 3 res,

O R A T I O

res censuerunt. Hinc est quòd ad imaginem Dei formatum credimus humanum genus, & quòd virtutum semina mentibus hominum impresserit Deus.

Illud ipsum significare voluisse videtur maximus & sapientissimus hominis architectus, dum mirando fanè artificio corpora hominum constituit. Culinam, & eam humani corporis partem, quæ famis & sitis sedandæ causa, cibi & potus appetens est, inferiore corporis loco posuit: Alteram verò, quæ cibandis affectibus destinata est, in medio: Supremam verò humani corporis partem, rationis sedem esse voluit, quæ maximarum rerum notitiam & cognitionem contineat. Vt cogitemus, quòd in vita hominis aliqua cura esse debeat quærendi victus & conservandi corporis, eam tamen non solam aut maximam esse debere, sed summo nisi in id curæ homo ut iucumbat necesse

O R A T I O

cesse esse, sapienter vitam ut instituat,
Dei & rerum maximarum cognitio-
nem habeat.

Eò respexisse arbitror & veteres
illos scriptores & Poëtas, quorum alter
inquit: Natura cum cætera animan-
tia prona finxisset & ad pastum tantum
adjecisset, solum hominem erexit & ad
cœli conspectum excitavit: alter verò
idem venustissimis versiculis expressit:
*Prona quæ cum spectent animantia cætera terram
Os homini sublime dedit, cœlum quæ tueri,
Iussit & erectos ad sidera tollere vultus.*

Atque lex illa, ipsius DEI
voce promulgata, quam Decalogum
vocamus, ostendit, ad quid condi-
tus sit homo, & quæ fuerit iustitia ori-
ginalis, nimirum congruentia seu con-
formitas cum tota lege Dei. Verum
proh dolor, adeò deformata & de-
pravata est lux illa mentibus hominum
insita, ut iam non veri indagatrix, non
virtutum, sed viciorum potius sectatrix

B 4

lit.

ORATIO

fit, tota illa, ut sic dicam, humani generis colluvies, ad vicia quæque prona & proclivis, ita ut nisi freno quasi injecto ad virtutum viam retrahatur, & in ea detineatur homo, scelerum volubris et inquinamentis involvatur quasi labyrintho inextricabili.

Posuit his malis remedium Deus Opt: Max: duo hominum genera mundo universo præficiens, quorum unum, ostensa ira divina adversus peccata, & poenis horrendis quas secum trahunt flagitia, quæ ab hominibus patrantur innumera & immania, crebris hortationibus mortales adducat, ut legi divinæ morigeri, viciorum incitamentis reluctantes, virtutum semitis insistant sedulo: Alterum verò, immorigeros & eos qui criminibus se polluentes monitis salubribus obtemperare noluerint, severiore quadam disciplina coerceat: ut ita mundus beneficio dictorum duorum ordinum in officio retineatur, veram

ORATIO

ram vitam instituere, & in ea persistere
discat.

Ex his aestimare licet, quantum sit
beneficium, & quanta bona exhibeat
Deus mundo per suos præcones & ma-
gistratum politicum. Intelligimus etiam
quod sit Magistratus politici officium,
& quid Deus agat per eos, quos ad gu-
bernacula sedere iubet. Hi vices Dei
gerunt in mundo, dum nutritii Ecclesiæ
id agunt sedulo, ut divino nomini suis
tribuatur honos, scandala & impietates
explodantur. Hi sunt, dum Christi-
ani & commisso sibi populo principes
veri & salutare perhiberi volunt, qui
sapientissimum illum Israeliticæ gentis
regem imitantur, cui cum daretur optio,
ut quicquid vellet ab eo, qui nihil non
prestare potest, peteret, nihil aliud opta-
vit quam sapientiam, & eam sapientiam,
qua populum sibi commissum rectè gu-
bernaret. Narrant historiæ veterū, Aeg-
gyptios simulachrum Principis dum res

ORATIO

presentare voluerint, pingere fuisse solitos, Oculum cum sceptro: nimirum quod oculus in corpore, id verus Princeps in Repub:, quod sol in caelo, id princeps in populo: Sol oculus mundi, princeps oculus multitudinis: quod animus in homine, id Princeps in civitate: Animus sapit, corpus obtemperat: & imperat quidem animus corpori, sed corporis bono, nec sibi gerit regnum veluti tyrannus, sed ei cui praesidet.

Plausibilia sane & magnifica in honorem politici magistratus diximus, non quidem animo assentationibus dedito, sed rem ipsam considerantes honorem magistratui debitum tribuimus, idem describentes veri & boni gubernatoris, & quanto possumus desiderio optamus, in omnes praesertim Christiani nominis Principes & magistratus ut congruant ea quae diximus encomia. Verum cum non sine suspiriis intelligamus, eam sapientiam in multis etiam
Christi

ORATIO

Christiano nomini deditis gubernato-
ribus desiderari, Rectorem mundi et gu-
bernatozem maximum exoremus in his
mundi fecibus, etiam iis, qui jam ad res
rum gubernacula sedent, ut sapientiam
largiatur, si non Salomonis intelligentiæ
parem, vel saltem proximè ad eam ac-
cedentem. Atqui etiam ex sacris co-
gnosimus literis, magistratus politicos
non eximiis, sed divinis ornari titulis &
encomiis, ut Psalmus habet: Dixi ego,
Dii estis. Dei enim moderantis univ-
ersa, salutaris Princeps vivam imagis
nem refert, atq; eò magnificentior est
Princeps, quò propiùs ad archetypi
sui formam accessit. Deus nihil non pers-
picit, nihil non sentit, nullis corrumpitur
affectibus. Ita potentissimus est, ut idem
sit optimus, omnibus benefacit, etiam in-
dignis, non punit nisi rarò, idq; coactus,
nobis administrat hunc mundũ, non sibi.

Ita nihil est bono rege præclarior, ni-
hil melius, nihil Deo propius. Rursus
nihil

ORATIO

nihil malo Principe foedius, nihil pejus,
nihil cacodæmoni similius, sicut refer-
runtur in historiis furia illæ & pestes ge-
neris humani, Nero, Caligula, Domi-
tianus, & ejus generis plurimi.

Hæc considerantes gratias aga-
mus Deo quàm maximas, quòd Chris-
tianæ religionis amantes, pacis custo-
des, defensores corporum & facultatum
omnium quas possidemus, magistratus
nobis concesserit politicos. Cinxit
enim muro quasi Dominus facultates
& totam vitam hominum, dum subli-
miorem illam mundi potestatem ordi-
nem constituit politicum, qui tanquam
Dei vicarius disciplina coerces & regit
subditos, ne vim sibi invicem inferant
aut facultatibus noceant.

Non defuerunt, qui mundum hunc
hospitio conferrent, in quo hospite: cõs-
fluunt & sustentantur plurimi, partim
boni, & honestatis & pacis amantes, par-
tim verò contentiosi, litium & rixarum
studiosi.

O R A T I O

studiosi, quibus convicia, altercationes
 & dissidia, quasi epulae sunt & fercula
 jucundissima, & palatui ipsorum quam
 maximè arridentia. Hic nisi hospes
 suam interponat auctoritatem, & hos-
 pitii sui jura inviolata velit servari stri-
 ctè, quis quæso iurgiorum modus?
 quis grassationum finis? quæ denique à
 cædibus, rapinis, incursionibus, abstin-
 entia? Non secus infinita & horri-
 bilia evenirent mala, nisi Deus hospitio
 suo, huic mundo, custodes & pacis de-
 fensores præfecisset Magistratus poli-
 ticos. Ideoque apud Danielelem Pro-
 phetam Princeps assimilatur arbori, sub
 qua non tantum pascuntur, sed & te-
 guntur. & contra injurias defendun-
 tur subditi: & multæ sunt historiae &
 sententiæ quæ curas describunt, &
 onera magistratus, quæ ipsis ex guber-
 natione incumbunt, juxta illud res
 gis Alphonsi symbolum: Pro lege &
 pro grege: Et illud:

ἐν Χρῆτι βασιλεύχιον ἐνδ' ἐμ βασιλείφορον ἀνδρα.

Ne

O R A T I O

Ne vir consilij per noctem dormiat omnem.

Vocantur patres conscripti. Item: patres patriæ, eò, quòd paterno amore erga suos subditos affecti esse debeant. Siquidem Princeps bonus nihil differt à bono patrefamilias. Pingunt quidam Principes facem ardentem in candelabro, atque utuntur Symbolo adscripto: Aliis inserviando confusmor: significantes principis officium esse, etiam cum vitæ periculo subditorum salutem & commodum quærere & defendere. Atq; extant versiculi Eobant sub persona Achillis, ex Græcis Homeri versibus conficti:

*Sicut avis quæ pro pullis implumibus ipsa
Evolat & pastum miseris parat, haud secus ipse
Pro Danais mala multa ferens, quot sæpe peregi
Pervigiles noctes, quot luces Marte cruentas,
Assiduò dum bella gero, dum prælior ipsis
Proq; viris & conjugibus Danaumq; salute.*

Maximo itaq; honore afficiendos & amore summo complectendos esse Magistratus politicos, quis non videt:

atq;

ORATIO

atq; si bono Principe privantur subditi,
lugendum esse, atq; suam potius mise-
riam & infortunium quàm principis in-
teritum deplorandum res ipsa postulat.

Mors equidem omnibus ex æquo
communis omnes infestat, tam princis-
pes quàm subditos rapit, modò Paupe-
rem modò divitem necat, siquidem
Pallida mors æquo pulsat pede Paupe-
rum tabernas regumq; turres. Hinc
est quòd germanico vocabulo mortu-
orum funera Similia vocantur. Nulla
enim in mortuis apparet dissimilitudo
quod ad ipsa mortuorum cadavera per-
tinet, etiam inter divites & pauperes.
Sicut perquàm eleganter Divus Am-
brosius inquit, de divite Achab & pau-
pere Naboth scribens, id agens & mo-
nens sedulò, ut propter commune il-
lud vitæ & mortis vinculum, divites
non contemnant pauperes, sed amore,
ut ejusdem fortunæ consortes, profes-
quantur.

Atq; cum elegantissima sit

oratio

ORATIO

oratio, & gnomis conspersa pulcerrimis,
ipsa D. Ambrosii verba adscribere non
abs re fore arbitratus sum. Quousq;
(inquit) tenditis, divites, insanas cupidi-
tates, nunquid soli inhabitatis terram,
cur ejicitis consortem naturæ, & vendi-
catis possessionem naturæ? In commu-
ne omnibus divitibus atq; pauperibus
terra fundata est. Cur vobis jus pro-
prium soli divites arrogatis? nescit na-
tura divites, quæ omnes pauperes gene-
rat. Neq; enim cum vestimentis na-
scimur, neq; cum auro atq; argento ge-
neramur. Nudos fudit in lucem, egen-
tes cibo, amictu, poculo, nudos recipit
terra quos edidit, nescit fines possessio-
num sepulchro includere, Cespes an-
gustus æquè & pauperi abundat & di-
viti, & terra quæ viventis non cepit
affectum, jam divitem capit. Nescit er-
go natura discernere quando nascimur,
nescit quando deficiamus, omnes simi-
les creat, omnes similes gremio claudit
se-

O R A T I O

sepulchri. Quis discernat species mortuorum? Redoperi terram, & si potes divitem deprehende, eruderato paulò post tumulum, & si cognoscis egentem argue, nisi fortè hoc solùm, quòd cum divite plura pereunt, Sericæ vestes, & auro intexta velamina, quibus divitis corpus ambitur, damna viventium non subsidia defunctorum sunt. Unguentum accipis dives, post mortuus es & foetidus es, perdis alienam gratiam, nec acquiris tuam. Hacenus D. Ambrosius.

Verum omnes calamitates, quæ homini impendent innumerae, sive divitiae accidant sive pauperi, ipsam etiam mortem flagellum esse Dei statuisamus, & poenam divinitus nobis irrogatam propter peccata, atque idem cogitemus, quoties calamitatibus obruimur ipsi, aut alios ærumnis oppressos videmus. Ideo & D. Hieronimus in Cōmentario in Nahum (ubi Propheta civitati peccatrici poenam impendere,

C &

O R A T I O

& flagellum ab ea non recessurum minis-
 tatur) inquit: Si quando viderimus hunc
 morbo regio computruisse & superesse
 cadaveri suo, alium intercuti aqua, &
 tumentis natare corpore, crescentibusq;
 membris formam pristini hominis des-
 crescere, illum purulentias quasdam,
 & vulnerati damna pulmonis egerere,
 istum humore in lapides desiccato uris-
 nae amaritudinem, & vesicae tormenta
 sentire, non dubitemus dicere vocem
 Flagellum esse Dei. Licet haec nonnulli
 li vel ex corrupto aëre, vel ex escarum
 & corporum diversitate accidere suspi-
 centur. Nos qui legimus, & febrem
 increpatam, & mulierem, quae per decem
 & octo annos à Diabolo fuerat ligata,
 Domino medicante curatam, sciamus
 haec omnia flagella esse Dei.

Sed quorsum ista? Nimirum ut vi-
 deamus, Mortem quidem omnibus cō-
 munem omnes infestare & rapere, &
 propter amissos amicos quoscunq; lus-
 gendum esse, multò magis tamen
 propter

ORATIO

propter amissum Principem. Tūm enim ad Reipub: emolumentum respicientes, publica & privata damna consideramus simul, quæ ex interitu principis oriuntur. Ideo cum 2 Reg. 18. David Rex contra Absolonem filium seditiosum preliaturus ipsemet in aciem procedere, & dimicare vellet, subditi & milites concedere id noluerunt. Respondent enim Regi: Non exhibis. Si enim fugiendo fugerimus, aut si media pars ceciderit è nobis, non multum curabunt. Tu autem unus p̄ decem millibus computaris. Vident nimirum amisso capite & duce totum exercitum involvi periculis, & amisso Rege subditos incommoda incidere gravissima.

Verum cum hoc loco non sit nostri instituti, vel miseriam generis humani deplorare, vel mortis tyrannidem execrari, sive etiam Magistratus Politici decantare encomia, paucis his contenti ad propositum nostrum pergamus, agentes breviter de vita Reverendis:

C 2,

Dof

O R A T I O

Dominae nostrae Principis, & commemoratione rerum quarundam gestarum, quae sub initium repurgati Evangelii hic & in locis vicinis evenerunt.

Reverendissima itaque & generosa princeps nostra, Domina Anna, prognata est ex nobili & antiquissima Comitum Stolbergensium familia, in lucem edita Anno 1504, ipso die Agnetae, qui incidit in 21 Janu. diem: Patre, Generoso & inclyto heroe, Domino Bosdone, Comite Stolbergense, qui cum aetatis suae annum attigisset septuagesimum primum, vitam cum morte commutavit, anno M. D. XXXVIII. die Lunae post festum Trinitatis: Matre vero Anna, Comitissa in Konigstein, matrona praestantissima & optima, quae cum in conjugio vixisset cum marito suo ad annos 38, eodem anno maritum secuta decessit die Augusti 7. aetatis anno 56. Domina itaque nostra praedicta, Abbatissa Quedelburgi eligitur

O R A T I O

gitur, anno à nato CHRISTO 1516,
atq; solenniter introducta rei summæ
apud nostrates præfuit ad annos duode-
sexaginta.

Atque, ut hîc topographiam uno
atque altero verbo subjiciam, urbs est
cui vetustas Quedelburgi nomen indi-
dit (inter oppida Saxonix, quæ his locis
confinia sunt, non postremum) ad silvæ
Hercinix radices sita, ea parte qua flu-
men, cui Bude nomen est, præterlabitur,
à fonte suo seu scaturigine, quæ ex
monte, quem Bructerum appellant, ori-
tur, circiter miliaria tria, nascendis frugis
bus solum satis fertile, aër à multis pro-
pter montium & silvarum vicinitatem
salubrior existimatur, atq; locus cõqui-
rendis plerisq; rebus, quæ ad vitæ huma-
næ conservationem necessariae sunt, sa-
tis aptus.

Vnde autem acceperit nomen urbs
hæc nostra variæ sunt opiniones. Pu-
tant aliqui Invictissimi Imperatoris

C 3

Hinz

ORATIO

Hinrici Aucupis conjugem Mechtildam nomen imposuisse urbi à catella in montis cacumine ibidem inventa, Quedella nomine, In hanc opinionem perducti, quòd videant urbis nostræ Senatam Catellam in insignibus suis pingere solitum. Verùm, hanc nominis originem esse, non videtur consentaneum. Aliorum quorundam sententia est, nomen inditum urbi Quellenburgum, à scaturiginibus aquarum, quibus abundat locus ille & montes vicini ores.

Nec desunt qui denominatam credant civitatem ex pagi vocabulo, qui Quintilingum vocatus ea parte urbis nostræ situs fuisse creditur, ubi jam est templum & parochia Blasiana, ita ut paucis mutatis literis ex Quintilingo Quedelingum sit nuncupatum. Consentaneum hoc magis videtur, Villas enim ibidem, ubi nunc urbs est, fuisse, ex veterum relationibus & monumentis quibus

ORATIO

busdam accepimus, Quintilingum, ut diximus, & Nortingaum, eo in loco, ubi nunc parochia est Egidiana. In medio pagorum istorum, ubi nunc forum est, fuisse ditiorum quorundam seu procerum habitationes: Imperatoris quosdam aulicos & satrapas ibi habitasse: atque Curtes Quintilingas vocari solitas, atque ideo in perpetuam rei memoriam et antiquitatis significationem adhuc hodie in domorum quarundam frontispicio conspicitur depictus & insculptus lapidibus homuncio parvus & nudus.

Rursum alii, & ij, quibus cura est variarum gentium antiquitates & originis indagare, aliam urbis nostrae nominis adducunt rationem. Quados fuisse populos tradunt, eosque Sueviae, Silesiae, Moraviae, & Poloniae etiam partem olim inhabitasse, gentem ferocem & bellicosam, nulli non formidabilem, & consentaneum esse, ajunt, eos dum in

C 4. has

O R A T I O

has terras incurſiones facerent, multum omninò cladis & miſeriarum intuliſſe harum regionum incolis, dum funditòs extirpare eos ſtuderent. Atq; eam ob cauſſam, cùm hominem malitioſum & ſibi moleſtum nuncupare idiomate Saxo-
onico volunt, Quadum vocant etiam hodie, Einen quaden Menſchen. Eos, a-
ſunt, cùm has terras occuparent, urbi noſtræ ex ſuo nomine indidiſſe nomen ut Quadelburgum vocaretur, hodie Quedelburgum, ſicut videmus voca-
bula multa olim barbarè expreſſa, hoc tempore longo uſu mitiùs ſolere pro-
nunciari. Homines enim non tantùm moribus, ſed & ſermone fieri delicatio-
res ipſa docet experientia.

Hic circa annum Chriſti nongena-
teſimum triceſimum, Hinricus Impe-
rator ejus nominis primus, dictus Au-
ceps, princeps laudatiſſimus, virtutum
& rerum geſtarum domi militiaeque glo-
ria & felicitate celeberrimus, collegium
vir

ORATIO

virginum nobilium extruxit in honorem Dei omnipotentis. Procul dubio ut virgines nobiles in pietate educarentur, cultibus divinis assuescerent, & Deo servirent devotione maxima. Huic Cœnobio nomen inditum est Sancti Servatii. Atq; primam constituit Abbatissam Collegio illi Imperator filiam suam Mechtildam. Ibidem etiam laudatissimus Imperator, cum ex Goslaro, ubi sedes ei fuit regia, Romam versus iter suscepisset, & morbo correptus in itinere, Minneslebiae (quod parvum nunc est oppidum, tunc fortasse florentius, propè V Vernigerodam situm) decessisset, in Monasterio, ut vocant, arcis Quedlingensis sepultus anno 936. die Mensis Iulii secunda, ætatis suæ anno sexagesimo, Imperii decimo septimo, cujus ibidem etiam hodie extant monumenta. Hujus Cœnobii extruccionem cum perficere vivus, dictus Imperator non posset, extremam labori manum

O R A T I O

imposuerunt prædicta Abbatisa, cum
Mechtilda matre vidua.

Huic Collegio Abbatisa præficitur
Reverendissima Domina nostra Prin-
ceps D. Anna, ex generosorum Comitū
Stolbergensiū familia nata, anno post
Christum natum decimo sexto ultra
sesquimillesimum, ut supra recitavimus.

Quantæ tūm fuerint tenebræ & erro-
res in universo orbe Christiano manifes-
tum est, regnū in Ecclesia Christi tenen-
te Pontifice Romano. Neglecto namq̃
& ferè exploso Christo mediatore &
salvatore unico, ut reliquas taceam ido-
lomanias, Beata virgo Maria mediatrix,
auxiliatrix, redētrix, Illuminatrix, Ad-
vocatrix in Ecclesiam Dei invec̃ta unica
ferè habita est spes credentium, unde nō
honos sed ignominia potiūs beatissimæ
virginī accessit. Sancti invocati patroni
& opitulatores inter Deum & hominem
mediatores constituti: Coenę Dominicæ
prophanatio facta horrenda: ciborum et
cons

ORATIO

conjugii prohibitio detestanda, quæ vel sola, teste D. Paulo, regni Antichristi nota potuerit esse certissima. Has tenebras et horrendas dogmatum divinorum depravationes quancūq; viderint & senserint multi eo tempore viri excellentes, ita tamen prestigiis quasi obcæcati, iugo & tyrannide pontificiorū oppressi, et quasi carcere eorum comprehensi fuerunt, ut ne mutire quidem contrā ausi fuerint.

Nec tamen omninò dubitandum censeo de salute omnium eorū, qui sub Papatu vixerunt ante restitutam Evangelii lucem. Conservavit Deus multos in vera filii Dei agnitione & invocatione inter errores illos publicos & teterrimos. Recitat sanctæ memorię & æterna laude dignus Philippus Melanthon historiam de Lādigravio Thuringię Friderico, qui vixit ante annos trecentos. Cū coram ipso exhibita esset Comœdia Isenaci de decem virginibus, et applicata esset contra errorem de invocatione mortuorū:

Ine

ORATIO

Intelligens princeps taxari invocatio-
nem sanctorum & agnoscens errorem
publicum multa de eo conquestus, &
postea in vera filii Dei invocatione
mortuus est. Sicut & Imperator Caro-
lus V. ab uxore moritura mandavit
amoveri Monachos, & præceptorem
filii sui proponere ei consolationes de
CHRISTO iussit. Ernestus etiam Ar-
chiepiscopus Magdeburgensis Saxonie
Dux jam morti vicinus duobus mona-
chis Franciscanis ad lectum astantibus
in Salinis Saxonicis, cum alter diceret:
Bono animo esto, inclyte princeps, nos
omnia non tantum nostra, sed & omnia
totius Minoritarum ordinis bona opera
Tuæ Celsitudini communicabimus: non
est dubium, quin illis acceptis coram Dei
consistas tribunali justus & beatus: re-
spondit princeps: Nullo modo, nec
meis nec vestris operibus ego confidam,
sed solius mihi Christi opera sufficiunt.
Nein ich trawn/ ich begere ewrer Wercke
nir

O R A T I O

nirgend zu / Meines Herrn Christi Wer-
cke müßens alleine thun / darauff verlasse
ich mich. Ita multos in ipso mortis arti-
culo divinitus conservatos esse certò
statuendum est.

Ex his colligitur, non omninò du-
bitandum esse de salute omnium eos-
rum, qui post stabilitam & confirma-
tam politiam Pontificiam sub Papatu
vixerunt usq; ad tempora repurgatæ
doctrinæ cœlestis per Lutherum sanctū
illud Dei organon. Istud enim esset
omnes nostros majores æternæ con-
demnationi objicere: sequeretur etiam
absurdum illud: Fuisse aliquando tem-
pus, quo filius Dei λόγος non adfuisset
suæ Ecclesiæ, aut quòd frustra adfuisset.
Quod impossibile est. Cùm sciamus,
Deum inde usq; ab initio mundi, sem-
per sibi collegisse Ecclesiam ex genere
humano, etiam si ea aliquando magis, a-
liquando minùs fuerit conspicua. Si-
cut & ipsius Christi temporibus non
admo

ORATIO

admodum conspicua fuit Ecclesia. Haebuerunt etiam in ipso Papatu Baptismi Sacramentum, ubi arrepta stipulatione & foedere cum tota Trinitate facto tuto misericordiae Dei credere se potuerunt, & sic salvari.

Sed quantum beneficium Deus exhibuerit sub idem tempus universo orbi Christiano, dum explosis Idolomaniis ad pristinam puritatem doctrinam suam revocaverit, non cogitare satis nedum proloqui possumus, & si vel ardentissimis votis in genua procumbentes quotidie Deum compellaremus, gratias tamen Deo satis magnas agere non possemus. Decet tamen rectos, ut cum Psalmo loquar, collaudatio indefinenter. Missio nimirum viro Dei, quem Heliam hujus seculi, diem extremi iudicii proxime praecedentis, non immerito appellamus, Domino Doctore Martino Luthero, oppressam rei Evangelicae veritatem ex tenebris reduxit, ita
ut

ORATIO

ut ipsa luce meridiana clarior, veræ doctrinæ lux effulserit, & remotis opinionum varietatibus, & ab hominibus excogitatis labyrinthis sophisticis, pristinae & Apostolicæ veritati & puritati restituta sit Dei salvatoris nostri Iesu Christi doctrina. Hic lætitia, exultatione, & gaudio summo perfundi debebant omnes Christiani, non aliter ac si miser quidam captivus detineretur, densissimis conclusus tenebris, ac nil nisi mortem ante oculos positam videns: quanquam quidam, falso tamen acclamantes, spem vitæ ipsi facerent: ex omnibus istis periculis, captivitate & morte liberaretur subito. Ita profecto ex morte præsentissima in vitam asserti sumus omnes.

Sed oblitterata quasi est & dormit gratia illa antiqua, quam Deo redemptori ex tantis periculis debemus. Sonant quotidie in auribus hominum divini amoris ostensiones, paterni adfectus erga nos comprobationes, cœlestium & æternorum

ORATIO

ternorū bonorum etiam juramento cōfirmatæ promissiones uberrimæ & consolatissimæ, quibus perfusi periculorum pristinorum obliviscuntur homines nō aliter ac si ægrotus jam convalescens dolorum præteritorum immemor, ad valetudinis restitutæ commoditatem respiciat tantum.

Maximus fuit ardor in hominibus sub initium repurgati Euangelii, cognoscendæ veræ de Deo doctrinæ, & rationis salutis æternæ pervestigandæ, Sicuti principi pientissimo & Heroi magnanimo Electori Saxonie Fridrico, eodem tempore de causa, quam vocabant Lutherana, sciscitanti, apophthegmate eruditissimo & verissimo respondit Des. Erasmus Roterodamus: Mundus, inquit, fatali quodam desiderio sitit Evangelicam veritatem.

Tardiùs quidem hæc loca occupavit doctrinæ coelestis repurgatio, non eò quòd homines ardentissimo desiderio

rio

ORATIO

rio eam non desiderarent, sed quòd ij qui ad gubernacula Ecclesiæ & Reipub: sedebant, Episcopi & Politici gubernatores, omnibus viribus & summis conatibus in id curæ incumberent, ut quacunq; ratione & modo fieri possit, via huc commigrandi verbo Dei intercluderetur. Deo tamen urgente, & causam suam ipsomet agente, paulatim res benè processit.

Iohannes VVinnistadius (piæ memoriæ) pastor apud nos Ecclesiæ Blasiane, in collectaneis suis mentionem facit cujusdam Domini Vincentii, quem monachum fuisse, inquit, Augustinianæ familiæ, & statim in initio ardentissimo pietatis zelo puriorem doctrinam non tantum arripuisse & complexum esse, sed etiam publicè in eodem Augustinianorum cœnobio novæ civitatis, magno hominum accursu docuisse, sed à Monachis impiis, & verbi Dei hostibus veneno interemptum esse.

D

Senios

O R A T I O

Seniores apud nos, qui eo vixerunt tempore, etiam Doctorem quendam Rungium nominant, ejusdem familiae Monachum, qui & ipse, non sine laude, doctrinam puriorem Evangelii profiteri coeperat: sed statim iterum defecisse, & ad Papistarum opiniones relapsum esse ajunt. Quod statim cum animadverteret Dominus Bethmannus, novae civitatis eo tempore pastor, fucum scilicet & dolum subesse, siliquae, inquit, & lolium puriori frumento admixtum est: cavete vobis, si verbi divini verus amor vos incessit, à tali Rungio, vertumino, & summo cum scandalo flexiloquo. Monuerat enim antea suos auditores fideliter, ut Doctorem pium (sicut in principio apparebat) & Evangelicam veritatem defendentem audirent attentè & sedulò. Inde postea proverbium ortum est inter homines plebeios & facetos, ut dicere sint soliti, Doctor Runge hat eine falsche Zunge.

Sub

O R A T I O

Sub hæc tempora facta est conspiratio illa, & seditio rusticorum, quam fatalem quidam nominant, unde & his locis non parum periculi & damni accessit. Ibi multum etiam tulit incõmodi princeps nostra non tantum de sua & subditorum, sed etiam de parentis & fratris salute sollicita admodum. Parens enim Generosus Comes seditiosorum incursionem metuens, arci suæ Stolbergensi tutò credere se non audens furoribus ipsorum cessit. Frater Comes VVolffgangus ut incursiones & pericula à ditione parentis & sua averteret, et furores rusticorum declinaret, ad ipsos se contulit, à quibus & captivus detentus fuit. Ita princeps nostra pro se & suis sollicita in maximo fuit mœrore. Occupârunt & spoliârunt rustici illi: quos nigros vocabânt (verè nigri, & atrocissimi vocandi propter immanitatem & scelera) imo non rustici, sed incolæ potiùs: monasterium extra urbem, quod à S. VViperto nomen habet, occupaturi etiam ipsam arcem

D 2

nisi

O R A T I O

nisi precibus id avertisset princeps nostra aliquandiu, rogās ne vim sibi & suis inferrent, quicquid facturi essent principes vicini, idem & se facturam promittens. Verūm precibus à proposito, ut apparebat, non fuissent abducti, sed armata manu arcem invalissent, nisi ex Castris ad Franckenhusiam cæsos esse rusticos, principi nostræ fuisset denunciatum. Ita Dei beneficio metu tunc liberata princeps.

Paulò pòst nihilominus cū Magistratus politicus & colluvies illa papistarum, cursum verbi Dei in hac civitate prohiberet: sicut nec Halberstadii nisi cū periculo vitæ Evangelium filii Dei docere licuit: excitavit Deus virum Reverendum Henningum Radeken, qui repurgatam filii Dei doctrinam ardentissimis & summis conatibus, & pio zelo in pago vicino V Vesterhusia, in Comitatu Reinsteinensi sito, doceret.

Turmatim eò confluxerunt cives

EX

O R A T I O

ex vicinis urbibus Halberstadio, Qued-
lingburgo, aliisque locis vicinioribus ad
audiendas conciones verè Euangelicas,
atque utebantur ibidem sacrosancto coe-
nae Dominicae Sacramento iuxta Chris-
ti institutionem. Eam profectionem
& accursum impedire conati sunt saepe
potentiores comminationibus & vio-
lencia, sed frustra.

Præerat rei summæ eo tempore in-
ditione Reinsteinensi Illustris & gene-
rosus Dominus Vdalricus Comes Reins-
steinensis, Apud hunc cum D. Hennin-
gus Radeken Ecclesiae VVesterhusen-
sis pastor fidelissimus conquereretur de
Papistarum perfidia & tyrannide, &
ipsi indicaret, accepisse se ex quorundam
relationibus, moliri id hostes Euangelii,
ut vim inferre sibi concionatori, & po-
pulo etiam accurrenti possint: ideo in
animum induxisse, non velle se ulterius
auditores peregrinos admittere, ne sci-
licet ipsi Domino, & Comitatu eius,

D 3 five



ORATIO

sive etiam concionatori sibi quid detri-
menti inde accideret, grave quoque imò
molestissimum sibi futurum, si videret
plebeculam illam piam & ardentissimo
zelo verbum Dei complectentem pro-
pter se & suas conciones periculis invol-
vi gravissimis, quicquid tamen visum
fuerit Domino Clementi hac in re factu-
rum se intrepidè & summa cum fidelitas-
te, nihil veritus sævitiam & minas ad-
versariorum.

Hic Comes pius & magnanimus
constanti animo respondit: Mi Domi-
ne Henninge, Tu sicuti hactenus fecisti,
ita in posterum etiam tuo fungere offi-
cio, concionibus Evangelicis populum
erudiendo, Sacramenta juxta Christi
institutionem administrando, & ea com-
municato tam paræcianis tuis quàm pe-
regrinis, quicumque fuerint qui istud fla-
gitaverint: Dominus DEus, qui hanc
ipsam doctrinam ex cœlo nobis largitus
est, me & te defendet sat scio, iuxta Psal-
mi

O R A T I O

mi dictum: Fremuerunt gentes, & principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus. Sed quid cogitat Deus? Qui habitat in caelis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Sicut & postea cum bellum in Germania exarsisset periculosissimum contra status, ut vocant, protestantes, dixisse Comitem hunc testatur Reverendus vir, D. Leonhardus Suuigerus, concionator tunc aulicus, nunc Superintendens Comitatus Reinsteinen- sis. Quod si eò res redierit, ut prævaluerit tyrannis Papistarum, ego non tantum Comitatum hunc meum, sed vitam etiam ipsam amittam potius, quam ut patiar, me iterum jugo Papistico premi, aut falsis ipsorum dogmatibus implicari denuo. Vitam majore cum gloria profundero non potero, quam si in confessione ejus, qui eam mihi dedit, amifero. Quod in honorem pii & generosi Comitis, qui propter singu-



O R A T I O

propter singularem probitatem & prudentiam ab omnibus prædicatur maxime, recitare hic libuit non gravatim.

Interea tamen DEVS Optimus Maximus opus illud repurgandæ doctrinæ coelestis ulterius etiam apud nostrates urgebat. Publicè juxta Evangelicam veritatem concionabatur Vir Reverendus Iohannes Sturke, is cum suo, die Palmarum, fungeretur munere in æde Blasiana habita concione, et sacrosanctum cœnæ Dominicæ Sacramentum communicantibus distribuere vellet, avocabat eum ab ara per ministrum Capitaneus Philippus Mosebuscus, eo animo, ut in arcem deductum ad principem Saxoniae captivum mitteret. Verùm sequebatur pastorem turba copiosa civium & adolescentum ex operificibus manuariis, prompti, si opus esset, concionatorem suum ex manibus Capitanei eripere, sed ab amicis & ministris suis persuasus dimisit eum Capitaneus,

neus,

ORATIO

neus, cum interdictione ne ulterius concionaretur.

Sed quid fit? intra urbem silentium impositum erat divini verbi præconibus, cum Deo obturare os conaretur Magistratus, extra urbem in prochodochio, quod à Divo Iohanne nomen habet, vir erat senio & pietate venerandus nomine Benedictus Kirchofius, hic licet cæcus (per aliquot enim annos oculis captus fuerat) lucem tamen & veritatem Evangelicam vidit, & eam publicè proclamare cœpit. Aderat & alter in eodem Prochodochio Hermannus Denicus, qui raucedine vocis laborabat, hic pastoris fungebatur munere, administrando Sacramenta juxta institutionem Christi. Raucus cantabat: cæcus concionabatur, Scripta nimirum Lutheri prælegi sibi ab aliis curabat, & ut erat industrius, memoriæ infigebat, & populo proponebat. Hic iterum concursus hominum ex nostra & vicinis urbibus

D 5 &

O R A T I O

& pagis. Cathedra ipsi ex asseribus in
 area cœmiterii extruebatur, eò quòd tē-
 plum, auditorum, undecunq; magno nu-
 mero confluentium, non esset capax.
 Mesebucus Capitaneus cum equitibus
 armatis circa urbem vagans concursum
 illum civium prohibere vi & commina-
 tionibus quanquam in animum indu-
 ceret, nihil tamen profecit. Prævalebat
 propositum Domini, & qui intra urbem
 videntes & clamantes, vocem sicut tu-
 bam exaltantes audire nolebant, extra
 urbem cœcos & raucos & voce hæsi-
 tantes Deum celebrare & Dei verbum
 populo proponere ut paterentur sunt
 coacti.

Elapso temporis spacio etiam in ur-
 be rursus ad propagationem divini ver-
 bi excitati viri venerandi & docti Jonas
 Hildebrandus ad Sanctum Spiritum,
 qui Padebornum postea vocatus pasto-
 rem ibi egit, & ibidem mortuus est:
 Laurentius Donerus ad S. Egidium,
 qui

ORATIO

qui ex Stasfurdio huc venerat, cui mortuo successit Hinricus Sartorius pastor ad S. Egidium. In Neapoli, ut diximus, ad Divum Nicolaum, pastor erat Bethmannus, qui constanter puriorem verbi DEI doctrinam professus est, non sine periculo vitæ, sicut ex multorum relationibus accepimus, habitationi suæ parochiali tutò credere se non fuit ausus, ideoq; templi turrim sæpius ascenderat, ut ab insidiis & violentia hostium suorū immunis esse posset.

Fratrem Petrum Bethmannum custodem & defensorem corporis adversus sicarios impios plurimo tempore sibi adjungebat, cum insidiarentur ei plurimi.

Accusatus hic Dominus Bethmannus aliquando apud principem Saxonie Ducem Georgium, quòd ab Ecclesia Catholica defecisset, & falsam doctrinam spargeret in vulgus, vocatus ad principem accessit eum, qui tunc

Queda

ORATIO

Quedlingæ commorabatur. Sed prius
usq̄ principem adiret, fratri, cognatis
& amicis valedicebat, eò quòd vereretur
faciem suam amplius eos non visuros:
timebat enim vitæ suæ propter adversa-
riorum insidias & principis vehementis-
am: augebant timorem rumusculi milis-
tum & satellitum principis, qui magno
agmine in foro. & in ædibus, in quibus
commorabatur princeps, adstabant, per
quos transeundum erat viro bono Do-
mino Bethmanno. Illi enim transeun-
te ipso risum movebant, ronchos duce-
bant, dira minabantur, caput abscin-
dendum acclamabant, vestes aiebant
detrahendæ tibi, nostra erit tunica illa
ex pellibus vulpinis contexta. Ipse ve-
rò forti & constanti animo principem
accedebat, reverenter & submisse, so-
lito more, ad pedes ejus procumbebat,
puerum habebat sequentem se, fratris
filium Iohannem Bethmannum, qui
jam pastor est & Christi minister in
Ec

O R A T I O

Ecclesia Ditfordiana, qui sacrorum Bibliorum volumen gestabat. Princeps cum accusatores eius tertia vice vocati non apparerent, verbis asperioribus compellare Dominum Bethmannum coepit, arguens eum: Quod cum ab Ecclesia Romana Formatum suum, ut vocant, accepisset, ipsiq; iuramento adstrictus sit, ab ea defecerit, sectae illi Lutheranae, quae totum orbem decipiat, sese addixerit, falsa dogmata & Ecclesiae Romanae contraria in vulgus sparserit, atq; ita innumerabiles animas gehennae incendio exposuerit.

Ipse qua poterat humilitate & reverenda submissione, ea tamen gravitate, quae Christi confessorem constantem decebat, respondit: Iurasse se in verba Bibliorum sacrorum, quae scripta Prophetarum & Apostolorum ipsum Dei verbum esse universa fateatur Ecclesia, & quod in iis scriptis vera, & aeterna hominum salus contineatur, eam se doctrinam

ORATIO

Strinam, quæ Christi meritis & redemptioni fidere docet, auditoribus suis proposuisse & inculcasse, quod si ostensum fuerit ex sacrarum literarum fontibus falsi quid se tradidisse, publicè se id retractaturum non gravatim, poenis etiam ultrò sese objecturum, addens, peccatorem coram Deo me agnosco, Principi Domino meo clementissimo omni submissione me subijcio.

Princeps aliquandiu re secum deliberata, errorem ut agnoscat, ad se ut redeat, monens, vade (inquit) & tuo fungere officio, donec aliud quid in mandatis à nobis acceperis.

Hic Bethmannus aliquanto post à sacrificulo quodam Papistico, Nicolao Franco: qui à concione, quam habuerat Bethmannus in vestibulo templi, ipsi obviam processit, gladium gestans, & conviciis eum laceffens: perterrefactus, domum rediens in morbum incidit periculosissimum sic ut etiam mente incitatus

ORATIO

tatus visus fuerit, atque ita diem suum obiit.

Mortuo Bethmanno iterum substitutus est sacrificulus Pontificius Iohannes Genth; hujus concionibus & sacris interesse noluerunt cives: conciones habebat auditoribus mulieribus una atque altera. Scholæ Rector in Neapoli tunc erat Iohannes Leo Senior, hic scholasticis suis, & civibus accedentibus, Evangelicam doctrinam ex scriptis Lutheri in Schola prælegebat & pro virili explicabat.

Libet hic recitare historiam quandam aliquo modo facetam. Hic sacrificulus Iohannes Genth cum aliquando puerum baptizaret, aderat ipsi baptismi mulier, civis cujusdam Michaelis Kirshovii uxor, & cum sacerdos ille puerum, solito ipsis more, oleo sancto illineret, dixit mulier, Mi Domine Pastor, dic quaeso, ubi accepit Chrisma sanctus Iohannes baptista cum Christum baptizaret.

ORATIO

zaret in Iordane: ipse ira commotus, nisi in sancto templo essemus, inquit, hoc libro caput tuum percuterem, & confestim eam coram principe accusavit. Ea accersita comparuit unà cū marito, & cū non admodū sanę mentis se esse simularet: cū tamē sapiens mulier esset, atque etiam uterum gereret: marito mandatum est uxorem ut cogeret, sacerdotem in templo ne interturbaret.

Postmodū cū videret Magistratus politicus, non posse se cursum Evangelii impedire, periculosum etiam esse, & cum dispendio animæ conjunctum divinę voluntati obstrepere: non tantū à persequendo desistere, sed etiam rem Christianam promovere pro virili cœpit. Princeps nostra puriorem & sinceram Evangelii Dei doctrinam amplexa est, defendit, promovit, & ad extremum usq; vitæ halitum confessa est. Concionatores doctos, sincerę res
lis

O R A T I O

ligionis amantes, & Confessioni Augustanae addictos vocavit, & Parochiis suis praefecit. Accersito etiam Doctore Tilemanno Pletenero Stolbergensis Ecclesiae Superintendente etiam in arce usitatas Ceremonias & cantilenas emendare coepit.

Divisae tunc temporis erant Scholae literariae in urbe Quedlinga, ita ut altera in Parochia esset Benedictina, cui praerat Scholærector Simon Kleinschmidt, qui postea ad ministerium Ecclesiasticum vocatus pastor fuit Ecclesiae Elricensis in Comitatu Hohensteiniensi ad annos multos. Hic Reverendus & pius vir, senex admodum, ante triennium ibidem diem suum obiit.

Alterius Scholae, quae in nova civitate fuit, Rector erat Magister Vuolffgangus Hypseus, vir solidae eruditionis, trium linguarum peritissimus, atque ut norunt ii quibus cognitus tunc fuit, honestate & morum gravitate conspicuus, in for-

E man

ORATIO

mandis studiis teneræ pueris diligentis-
simus, & morum inspector & gubernas-
tor sedulus, ut testantur qui adhuc vi-
vunt ejus discipuli, familiaritate summa
multis bonis & doctis viris, præsertim
(sanctæ memoriæ) Philippo Melanch-
thoni conjunctus fuit, ereptus ex hac
vita mortali non sine gemitu & deplo-
ratione discipulorum, & civium apud
nos multorum, circa annum Christi
quadagesimum supra sesquimillesimū.

Eo tempore Reverenda & Generosa
nostra princeps: habita deliberatione
cum Reipub: nostræ Senatoribus, mo-
ta exemplo civitatum vicinarum, &
usa consilio & hortationibus eorum, qui
tunc erant verbi divini ministri: cum
magis consultum videretur, juventu-
tem conjunctim in una schola erudiri,
ex duobus unum fecit ludum literariū,
& ad eum deputavit Coenobium Frans-
ciscanorum, qui locus commodior visus
est, quòd in media urbe situs, pueris

una

O R A T I O

undecunq; facilius accessus esset. Aucto-
ritate itaq; principis Schola introducta
est in Cœnobium prædictum, atq; vo-
cabatur ad erudiendam iuventutem ex
Schola Magdeburgensi vir eruditione
& virtute præstans, & constituebatur
ejus Scholæ primus Rector M. V. Ver-
nerus Steinhaus, qui etiam nunc vivit,
Superintendens Ecclesiæ Barbiensis. E-
um secuti Scholæ Rectores, Iohannes
Nigrinus, Ioachimus Quenstadius, M.
Othmarus Pomeranus, Christophorus
Noricus, M. Matthæus Absdorfius, Ec-
clesiæ nostræ hoc tempore Superinten-
dens, Basilius Faber, & qui hodie eidem
ludo præest, M. Hinricus Faber.

Ita Dei beneficio schola fundata &
huc usq; conservata est, & multa præcla-
ra ingenia fundamēta pietatis, linguarū,
artium & disciplinarum, ibidem studio
& diligentia præceptorum posuerunt.
Non est dubium, si assiduis votis Deum
compellaverimus, & si quisquis pro vis

E 3 ril

ORATIO

rili suum fecerit officium, Spartā, quam nactus est, ornans: DEVM Ecclesias & scholas etiam ibidem rectorum, conservaturum & defensurum etiam in posterum, ita ut ad bene & pie vivendum in timore Dei sint officinae salutare.

Constitutum quoque est eo tempore aerarium publicum, collectum ex quatuor Ecclesiarum utriusque civitatis bonis & redditibus, unde tam ii, qui Ecclesiis docendo praessent, quam ij, qui juventutem in schola erudirent, alerentur.

Vnicam adhuc subjungam historiā breviter tantum attingens, ne scilicet pro rei dignitate explicando in nimiam prolixitatem excrescat narratio, unde principi nostrae non minima accessit calamitas. Incendiarius quidam & proditor temerario & plane diabolico ausu arcem Blanckenburgensem igne concremavit anno 1546, die Novem. 19. in qua arcis conflagratione Illustris & Generosa Domina Magdalena, soror nostrae principis, uxor Illustris & Generosi Domini

ORATIO

Domini Vdalrici, Comitis Reinstei-
 nensis, matrona pia & virtutum omni-
 um laude conspicua, cum partui vici-
 na esset, extincta est. Comes Vdalricus
 cum conjugem dilectissimam deserere
 nollet, parum abfuit quin & ipse a flam-
 mis suffocaretur, nisi per fabrum quen-
 dam lignarium, qui multo labore, cum
 nullibi alias per muros pateret exitus, la-
 trinam quandam perforaverat, ex in-
 cendio retractus, & humeris a sublimi-
 ore arcis parte deportatus fuisset. Ita
 tamen manibus, pedibus, & toto cor-
 pore adustus fuit, ut Lazaro vel Hiobo
 quocumque non fuerit absimilis, ut res-
 ferunt, qui eum tunc viderunt. Vixit
 tamen, accepta clade hac, ad annos quin-
 que, mortuus anno 1551, Dominica,
 ut vocant, Palmarum. Reverendissima et
 Generosa Domina *ELIZABETHA*, quae
 jam Abbatissa Quedlingensis est, V-
 dalrici Comitis filia ex eadem uxore su-
 scepta, annos tunc nata quatuor, una

E 3

cum

O R A T I O

cum sororibus, linteis quibusdam involuta ex incendio demissa egrè evasit, aliaë quædam virgines & viri nobiles desiliendo sibi consuluerunt. Eheu cladem illam miserrimam & lamentabilem, quã Princeps nostra, quoad vixit, absq; lachrymis non cogitare quidem, multò minùs proloqui potuit.

Recitavi historias quasdam sub initium repurgatæ doctrinæ cœlestis in urbe nostra & vicinia factas, quantum quidem ex fide dignorum relatione, scriptis etiam quorundam accepi.

Magnæ molis erat Romanam condere gentem, inquit Poëta, de exordio & incremento Romani Imperii loquens, Is namq; unius anni labor non fuit, unde & proverbium Germanis exortum: Vno anno, scilicet, Romam non esse conditam. Ita profectò magnæ molis fuit & res infiniti laboris, & cum maximo periculo conjuncta, collapsam jam & tenebris obfuscatam rem Christianam, reluctante Sathana, & resistent

ORATIO

te hostium impiorum & tyrannorum
 tanta caterva, ex tenebris reducere, &
 pristinae veritati restituere.

Magnæ molis fuit & opus infiniti la-
 boris, olim post Christi resurrectionē &
 in cœlum adscensionem, mundum unis-
 versum, in Christi leges Christo nomen
 ut darēt, cogere, atq; nisi divinitus adju-
 ti, defensi, stupendis etiam miraculis do-
 ctrina eorum fuisset confirmata, in vanū
 certè laborassent Apostoli. Non mino-
 ris etiam laboris fuit, collapsam & So-
 phisticis intricatā præstigiis pontificio-
 rum instaurare doctrinam, & nisi robur
 divinitus accessisset, impossibile fuisset
 res tantas peragere repurgatoribus.

Nostrum nunc erit p restitute salutis
 humanæ cognitione Deo gratias agere
 quàm maximas, & id agere sedulò, ne
 iterum in nobis oblitteretur, sed conser-
 vetur, & ad posteros quoq; transmitta-
 tur doctrina cœlestis.

Atq; profectò, si qua res est cogni-

E 4 tu



O R A T I O

tu digna, si qua ars ad peruestigandum
utilis, si qua professio hominum salutem
plurimam profutura, hæc certè pro-
fessio, quæ doctrinam cœlestem com-
plectitur, maximè necessaria est, & di-
gnissima, ad quam cognoscendam om-
nes ingenii vires intendamus, si sapi-
mus, & Dei omnipotentis cultores, &
verè Christiani perhiberi volumus. Ea
enim est professio & doctrina, quam
nec Plato, nec Aristoteles, aut Socrates,
sive Philosophorum quispiam protulit,
qui tamen præclarissima proposuere
dogmata, ex quibus homines virtu-
tum semina percipientes & cognoscen-
tes, ad benè & honestè vivendum eru-
diuntur monitis saluberrimis.

Nostra autem hæc professio ex
longè alia & profundiore promanat sa-
pientia, quàm vel humana ratio intelli-
gere, vel hominis indagatio: quantum-
vis subtilissima & maximè perspicax,
etiamsi vel Salomonis superet intelli-
gentiam

O R A T I O

gentiam : peruestigare aut perscrutari potuerit aut possit unquam. Habet enim ea authorem verè omniscium & omnia intelligentem, qui solus sapientissimus censendus, siquidem prodiit ex æternæ Triadis mente imperscrutabili. Primus nimirum Ecclesiæ suæ minister vel concionator fuit æternus pater, dum misertus Ecclesiæ suæ in Paradiso tenerrimæ adhuc, & propter foetidissimum illud conscientiaæ vulnus in maxima consternatione constitutæ, dulcissimam protulit sententiam, de restitutione generis humani per semen nasciturum.

Atq; decretum illud per æternum filium protulit, per quem omnia facta sunt, sicut ipse filius Dei testatur Iohan. 8. Sum Principiū, qui & loquor vobis. Item: Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Ipsum filium Dei sæpissimè, imò semper interfuisse colloquiis sanctorum Patrum, & ea suo nu-

E 5 tu

O R A T I O

tu direxisse certum est. Filius nimirum Dei semper adfuit Ecclesiae suae.

Adfuit etiam concioni illi aeternus Spiritus, movens corda hominum miserrimorum, & terroribus conscientiae penè exanimatorum, afflatu & instinctu suo ad credendum, & ad misericordiam Dei summo gaudio arripiendam, inflectens. Instituit postea ministerium suum Filius Dei, cum visibiliter in mundo versaretur, & victima pro nobis fieret, Apostolis suis & omnibus Ecclesiae ministris, docendi, & Ecclesiam secundum statuta sua regendi munus tradens, dum inquit: Sicut misit me pater, ita ego mitto vos.

Habes authorem doctrinae & religionis Christianae sanctissimam Triaden, atq; uberius recensere, quanta sint & quam excellentissima dogmata ab hoc tanto authore prolata, non duco necessarium. Relinquendus artibus quibuscunq; honestioribus suis honor & sua dignitas

ORATIO

dignitas, nec quicquam derogandum
censeo authoritati artium & professio-
num, quas Deus ad usum hominum de-
dit. In hoc autem solo ministerio, &
in hac sola doctrina divinitus nobis
proposita, cognoscitur, quæ sit vera Dei
omnipotentis essentia, & sacrosancta
ejusdem erga genus humanum volun-
tas. Prædicatur misericordia generi hu-
mano exhibita, & per filium revelata.

Certissimis etiam demonstrationi-
bus convincimur, futurum, ut homi-
nes, quamvis demortui, & in cinerem
ac pulverem redacti, ex morte tamen
revocandis, & in vitam æternam &
beatissimam asserendos esse, teste Di-
vo Petro, qui inquit: Accipietis cor-
onam vitæ & gloriæ immarcessibilem.
CHRISTO etiam ipso asseveran-
te, in resuscitatione mortuorum justi
fulgebunt sicut Sol in regno Patris sui.
Propheta quoque Daniel, & Apostolus
Paulus affirmant futuram piorum omni-
um

ORATIO

um gloriam in vita altera præclarissimã.
Consideratio itaq; præmiorum excel-
lentissimorum, quæ Deus clementissi-
mus ex mera gratia largietur, commo-
nefacit, ut res tantas nõ negliger agas-
mus, sed ut summo studio vitã hanc, ad
tantum gloriæ decus traducentem, per-
vestigemus, & ei insistamus sedulò.

Atq; nisi Deus clementissimus
doctrinam suam subinde instaurat &
repurgat, munus docendi & discendi in
genere humano instituit & conservat,
infinita sequitur Barbaries, & errores
teterrimi. Sicut videmus horrendam
esse barbariem in optima illa orbis ter-
rarum parte, in Asia, Aphrica, & aliis lo-
cis, ubi olim florentissimæ fuerunt Ec-
clesiæ. Calamitas est miserrima, vide-
re imperiorum ruinas ante oculos posi-
tas, prospicere oppidorum rudera, &
civitatum quasi cadavera: sed longè
major, & pressis flebilibusq; modis de-
ploranda est miseria: barbariem, & ver-
bi

ORATIO

bi divini interitum videre. Tum enim animarum strages & perditio æterna conspicitur. Atq; ea calamitas tantò magis horrenda, quantò magis anima præstat corpori, quantò magis æterna bona præcellunt corporalibus. Et verbi divini contemptum utrumq; sequitur, perditio nimirum animæ, & rerum corporalium amissio. Non enim vanæ putandæ sunt Christi comminationes, dum inquit: Nemo ex contemptoribus istis cœnam meam gustabit. Et: Dominus civitatem eorum succendet. Assiduis itaq; & creberrimis gemitibus Deum exoremus, & precatiunculam illam cum Apostolis, in hac mundi senectute extrema & tantis febribus semper iterandam, repetamus quotidie: Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit: & quàm maxime studeamus pietati, quæ promissionem habet hujus & futuræ vitæ.

Postremò ut ad pietatis studium,
verbi

O R A T I O

verbi divini amorem ardentem, ad preces etiam quotidianas, pro conservatōne & propagatione cœlestis doctrinæ, exuscitemur, epilogi loco subjungam Lutheri adhortationem gravissimam, ut vel tanti viri cohortationibus impulsī veternum illum ab oculis abstergamus, & profusis lachrimis progressum verbi divini expetamus.

Proinde vigilemus (inquit sanctum illud Dei organō in procœmio in psalterium) ut hoc nostro seculo pro hac revelatione verbi, pro inenarrabili hoc dono DEI grati simus. Utamur his tantis donis ad gloriam Dei & commodum proximi, ne nostræ ingratitude ni graves pœnas demus. Nam non ita ante multos annos, durante illa barbarie, quantus thesaurus fuisset habitus, si vel unum Psalmum habuissemus bene cognitum aut intellectum, & ne usum quidem habuimus. Nunc autem beati sumus in tanta opulentia, & beati
oculi

ORATIO

oculi, qui vident, quæ nos videmus, & aures, quæ audiunt, quæ nos audimus. Sed quàm metuo, ne cum Iudeis in deserto Manna fastidientes dicamus: Nauſeat anima noſtra ſuper cibo illo leviffimo. Verùm iudicium ſuum portabunt verbi contemptores, quicumque ſunt illi, quemadmodum Iſraelitæ iudicium horrendum portaverunt. Nos autem ſervet & provehat in cognitione verbi ſui pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Cui laus & gloria pro hoc pſalterio & omnibus donis, quibus excellenter ditavit nos, in ſecula,
AMEN.



15
[Faint, illegible text in a single column, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]

R
M
P
se
pi
n

P
D
Q
E
C
Q
N
P
O



EPICEDION

REVERENDISSI

MAE ET GENEROSISSIMAE

Principis, Domine ANNAE, ABBATIS-
sæ Quedlingensis, Comitissæ Stolbergensis, quæ
piè in Christo obdormiuit, die Iouis post Remi-
niscere, 4 die Martij, Anno 1574, ætatis suæ
septuagesimo, cum Reipub: Quedlingbur-
gensi præfisset ad annos
quinquaginta octo.



Non tantum Domina, at nobis charis-
sima mater

Vivis eripitur, tristes descendit ad
vmbas. (longo

Quæ senio confecta fuit, quæ tēpore
Præfuit, & magna curarum mole gravata,
Dum Quedlingiacos hoc tristi tempore rexit,
Quæ Stolbergiacæ stirpis laus, gloria summa
Et decus eximium, ipsa suis reuerenter amata
Ciuibus, & pietate grauis, virtute celebris,
Quæ verè mitis, quæ clementissima princeps,
Non austeræ, tamen mixta grauitate gubernans,
Prudens quæ didicit tam longo temporis usu
Omnia jure agere, imperij sufferre labores.

F

Siccine

Siccine mors æqua rapis omnes conditione
Et nulli parcis, nec Rex nec subditus vllus
Evitare potest tua tela minantia mortem.
Sed memorare libet, quo nostra hæc stēmate prin-
Nata sit, & cursum vitæ recitare peractæ, (ceps
Botho domus Stolbergiæ generosa propago
Principis ille pater, quondā Comes inclytus heros
Et virtute potens & nobilitate decorus.
Hic, vt nascuntur multi vna ex arbore rami,
Reliquit post se numerosam posteritatem:
Wolfgangum; hic tenuit defuncto sceptrâ parēte,
Multa tulit viuens dum rustica turba superbe &
Seditiose ageret cuperetq; euertere regna:
Christophorus: pietatis amans & religionis
Sincera, vt patrem quem subdita turba veretur:
Hinc Ludouicus, qui ad Rheni littora vixit:
Henricus sequitur; tulit hic discrimina multa
Papistarum odio, dum religionis amaret
Fundamenta piæ. hic nuper migravit ad astra:
Et Comes Albertus viuens hoc tempore leges
Propouit patriæ, multa gravitate gubernans:
Sunt etiam Comites Wolfgango patre creati
Quattuor Heroës illustres nobilitate
Wolfgang: Ernestus maior fratrum ipse disertus,
Artibus ingenuis, linguarum cognitione
Instructus, fouet hic doctos, quia doctus & ipse:
Botho, nomen aui referens, secessit ad umbras:
Heros militia fortis, prudensq; Iohannes

Henricus

Hinricus minimus fratrum spes posteritatis:

*Hi consanguinei nostræ sunt principis, atq;
Heroës Stolbergiaci, quos vt regat ipse
Conseruetq; Deus, foveat, pia cæpta secundet,
Longæuos faciat, precor ore & pectore toto.*

*Princeps nostra animã Christo quæ reddidit ipsa
Virtutem cum lacte simul, simul & pietatem
Imbibit, & didicit bona sedulitate parentum.*

*Ætas maiorum quàm præsens relligiosa
Plus fuit, in tenebris quanquã tùm degeret orbis,
Nunc Euangelij lux mundo clara refulsit.
Decrescit pietas, scelerum indulgentia crescit,
Negligitur teneros virtuti assuescere natos.*

*Admota imperio princeps iuuenilibus annis
Tunc orbem quando regeret Maxæmilianus
Cæsar, cùm floreret adhuc peruersa tyrannis
Pontificum, quæ fraude sua deceperat orbem,
Idolumq; Papam coleret Germania tota,
Leges pontificum mundus decretaq; Papæ
Pluris quàm Christum faceret, cùm fideret orbis
Non meritis Christi, nec fuso sanguine sacro
In proprijs meritis spem poneret atq; salutem
Mens hominũ, quib. imbuta est ea fortiter hæret,
Nec facile ex animo diuelli talia possunt.*

*Sic & principio Pomposam relligionem
In specie sanctam valdè, magni esse momenti,
Esse salutis iter princeps hæc nostra putauit,
Sed postquam ex tenebris diuina voce Lutheri*

Eruta verba Dei, sua reddita gloria Christo,
Non operi nostro nec fidere viribus ullis
Humanis didicit, Non ut docuere Papistæ,
Reclusisse viam Christum, sed ut ingrediamur
Cælum, istud nostris virtutibus efficiendum,
Sic partim Christo tribuetur gloria, partim
In meritis nostris fiducia ponitur, & nec
Sanctorum meritis fidendum, nec prece sanctos
Iamdudum ex mundo qui decessere vocandos,
Et quæ prætereà Papæ sunt dogmata falsa.
Cum percepisset synceram religionem
Doctrinam è cælo missam penetrabilibus imi
Pectoris inclusit, tenuitq; fideliter ipsam,
Horrendas mundi defleuit sæpe tenebras
Et papistarum valedixit religioni.
Instituit veram, concessit vera doceri
Doctrina ut possit, fidosq; piosq; vocavit
Præcones verbi, qui dogmata sancta docerent,
Ut sic vox Christi per pulpita cuncta sonaret.
Cantica Papismum nimium redolentia templo
Semouit, pia substituit sua templa repurgans.
Hic vsa est Tilemanne tuo Pletnere labore, &
Consilio, qui tunc Stolbergæ verba docebas
Diuina, & quos tunc habuit Quedlinga ministros
Vsa est consilio doctorum sæpe virorum,
Per quos restituit mundo sua dogmata Christus.
Exhibita est inuicte tibi Confessio Cæsar
Carole, conuentus celebris cum Principum in vrbe
Augusta

Augusta celebraretur, quæ religionis
Et fidei summam recitat dextrè breuiterq̃,
Princeps nostra illam summa pietate fideq̃,
Complexa est, legit, cum sedulitate relegit,
Hæc iussit populo proponi dogmata, summa
Dexteritate inculcari, tradi, repetiq̃.
Maxima cura fuit transmittere posteritati
Doctrinam veram, vt sibi subdita turba salutis
Ingredere iter, cælum conscendere posset.
Et nec cura fuit tantùm pia religionis,
Externam populi quæsiuit & ipsa salutem,
Noctes atq̃ dies agitans in pectore curas
Solicita vt fierent feliciter omnia, Pacis
Commoditate frui possent, & viuere tuti.
Hostilis quoties metuenda incurfio, ne quid
Aduerfi ciues paterentur sepe pericla
Auertit scriptis, aut qua potuit ratione,
Tum visu facilis dictuq̃ affabilis omni.
Si quis caussam ageret, si supplex subditus esset,
Inuenit facilem, clementem, iuris amantem.
Ab quoties ipsam, ingruerèt cùm publica damna,
Deplorare vices hominum, incusare malignam
Multorum rabiem, euentum expectare salubrem,
Optima quæq̃ suis optare, audiuimus omnes.
Præterea iuuat, quoties opus esset, egenos
Consilio, auxilio, fuit his tutissimum asylum,
Pauperibus nutrix, aluit multosq̃ cibauit,
Ægrotis medica, oppressis defensio, mater
F 3 Solamenq̃

Solamenq; suis, si quando aduersa fuerunt
Passi. sed breuius dico, Virtute decora,
Omni laude igitur nobis dignissima mater.

Et longæua satis princeps, quia vixerat annos
Septuaginta, Magistratum sed gessit ad annos
Quinquaginta octo; multo confecta dolore
Et longo morbo vires exuta recessit

Ex mundo, vltimus nobis quæ digna fuisset
Viueret, si Christo placuisset, vota fuerunt

Multorū. Ah vtinam vltimus queat esse superstes.
Sed placuit Domino curis imponere finem.

Ergo fide vera perseueravit ad vsq;

Extremos halitus, Christum confessa salutis
Autorem, precibus repetitis sæpius ipsi

Seq; suosq; omnes commendans sæpe precata est:

Ah pater omnipotens cæli terræq; creator,
Iesu Christe Dei fili, tu Spiritus alme,

Dico tibi grates quòd me Deus alme creasti,

Quodq; hominem me condideris ratione vigentē,

Ah pater immensa peccati mole grauata

Pollutam fateor multo me crimine, cūm sim

Nata in peccatis, & non sine crimine vixi,

Oro tuam solius opem, tu confugientes

Ad te, non reijcis, non aspernaris eorum

Vota, sed exaudis, solus peccata remittis:

Atq; magistratum gessi, duce & auspice Christo,

Curarum satis hinc sensi, satis atq; dolorum;

Implico vulneribus me Christe tuis, tua mors est

vita

Vita mihi misera, tua passio porta salutis,
Ne pater adicias vitæ mihi tempora plura,
Peruerso in mundo posthac me viuere tædet,
Suscipe quæso animã, mihi quam pie Christe dedisti,
Commendo tibi me, vitæ tu semita solus,
Da pater æternæ clemens mihi gaudia vitæ.
Sic ait, efflauitq; animam piè ad astra me auit.
Sanctæ pater Deus omnipotēs, qui trinus & vnus,
A quo sola salus, mandatis quæsumus omnes
Da parere tuis, & fac nos viuere sanctè.

Et verum est vulgò quod dicunt, ipsa potentum
Exempla in vulgus manare solent, stimuliq;
Sunt animis hominum, quibus inuitantur, & ipsi
Ut faciant eadem, quæ pulchrè facta videntur.

Luxit ita exemplar virtutũ in principe nostra,
Candor, amor veri, pietas, patientia, pacis
Tranquilla studium, comitas, concordia, gratæ
Mentis amor, grauitas, pudor atq; modestia, et ar-
Propria Christicolis deuota precatio: easdẽ (dens
Virtutes semper studeamus nos imitari.

Facta est sanctæ pater tua sacrosancta volũtas,
Defunctæ ergo loco petimus, pater optime, nobis
Redde Magistratum vestigia sancta sequentem,
Ut te deuoto celebremus pectore semper,
Subq; Magistratus tutela viuere tuti
Possimus, tibi laus & honor, tibi gloria soli.

A M E N.

F 4 EPIGRAM

EPIGRAMMA
EX VVLGARI DICTO:

*Contra vim mortis non herba
crescit in hortis.*

Morbos & varios tollit medicina dolores,
Quæ mortem tollat nulla medela datur.
Tritum est, Non vllum crescit medicamē in hortis
Aduersus mortem, hanc herbula nulla fugat.
Hæc est nimirum constans & regula firma,
Omnia dispereunt, omnia morte cadunt.
Hos, qui diuini contemnunt dogmata verbi,
Nec Christum agnoscunt, nulla medela iuuat,
Attamen in mundo pulcher fuit hortulus olim,
Herbam qui vitæ protulit egregiam.
Virginis hic Mariæ castæ semperq; pudicæ
Venter erat, qui tam dulce gerebat onus.
Hortulus ille pius Christum produxit Iesum,
Floruit hic hortus germine saluifico.
Hic est parta salus, hæc vera est herba salutis,
Hæc radix Iessæ sancta q; progenies,
Virgineus flos est æuum qui floret in omne,
Qui non conteritur, perpetuoq; viget.
Radicem sumes, herbamq; fideliter istam
Si biberis, mortis nil tibi morsus obeſt.
Sic sapis, ex herba hac tibi pharmaca sume parata,
Christum fac imis imbibe visceribus,
Sic mortem fugies, sic omni tempore viues,
Sic contra mortem est herbula nata tibi.

ELEGIA

ELEGIA

DE INCONSTANTIA
et fragilitate vitæ humanæ, ex
Psalmo nonagesimo, tempore
pestis scripta.

QVAM misera et quantis obnoxia nostra
periculis

Vita est; ab nimium turba misella sumus.
Nil certi quicquam, nihil est durabile prorsus
In mundo, constans, perpetuumque nihil.

Namque homo, si multos vitæ transegerit annos,
Cogitur ipse tamen mortis adire viam.

Ergo quid faciat cognoscens tanta pericla,

Quo se vertat homo, quis feret auxilium?

Abijciatne animum, desperans prorsus? id ipsum

Non faciat, Dominum credat adesse sibi.

Ad te sancte Deus miseri nos pectora nostra

Erigimus, pleno fundimus ore preces.

Ad te confugimus, tu nobis semper asylum,

Defensor solus, presidiumque Deus.

Tu qui cælum habitas, vasti custodia mundi

Quem penes est, curas tu Deus alme tuos.

Sedulitate pia vigilas, non dormit Israhel

Qui custodit, adest pro bonitate sua.

An dubitaremus te velle et posse iuuare?

Clementem nobis nouimus esse patrem.

Nec patrem tantum terreno more parentum,
Æternum verò credimus esse Deum.

Nam montes fierent cælumq; et terra priusquam,
Tu Deus es, sine & principioq; cares.

Ante creaturas fuerit quodcumq; necesse est
Esse creatorem perpetuumq; Deum.

Ante etenim istius formati tempora mundi,
Nil fuit, excepto, cuncta creante, Deo.

Verè ergo æternus tu, circumscriptio quem non
Aut brevis aut longi temporis vlla tenet.

Nec tantum æternus fuerit qui tempore cuncto,
Verum etiam Dominus creditur omnipotens.

Confictum non est numen, manibusue paratum,
Impia habet quales Ethnica turba Deos.

Condedit atq; etiam defendit cuncta creata,
Seruat, alit, nunquam deserit ipse suos.

Quid quæso poterit miseris iucundius esse,
Quodnam solamen dulcius esse potest?

Obijcitur multis Ecclesia sancta procellis,
Diuina nunquam destituetur ope.

Te penes est vitæ & mortis, Deus alme, potestas,
Viuere namq; homines tu facis atq; mori.

Quòd mortem oppetiant multi, multiq; vicissim
Nascantur, Domini hoc esse videtur opus.

Omnes præcipitas in mortem, omnesq; reduces
Ex morte extremi tempore iudicij.

Eheu conditio nostræ tristissima vitæ est,

Et brevis & fragilis vita, caduca nimis.

Assimilatur

Assimilatur homo fluuiio, qui pronus in aquor
Labitur, ad primum haud regrediturq; locum.
Sic festinat homo, properans descendit ad umbras,
Præterit ista dies, non redit ista dies.
Elapsum tempus nunquam reuocatur, & ætas
Ad finem properans fluminis instar abit.
Ut fluuius properans currendo absimitur, æstus
Solis quando ardens flumina sicca facit:
Torrida sic æstas hominem premit, anxietates
Absumunt vires, & perit omne decus.
Vires si totas intendas impediatur
Et fluuij cursus vt maneat stabilis,
Nil agis: absoluat quo cursum, saxa domosq;
Quicquid in opposito est flumen id omne rapit.
Sic homo si vitam remorari tentat, vt ipsa
Non pereat, stabili permaneatq; loco:
Frustra est quod tētat, si pharmaca plurima sumit,
Si medicamentis vtitur assidue,
Sobrius & viuit, moderatam siq; dietam
Obseruat, corpus ne ebrietate grauet.
Rectè equidem facit hic: non contēnenda videmus
Pharmaca: ducenda est sobria vita quidem,
Verùm postremo nil prosunt pharmaca, tandem
Cogitur omnis homo funera mæsta pati.
Fœdus id antiquum est; decedere cogimur omnes,
Gloria sic mundi transit & omnis honor.
Namq; omnes homines ex terra nascimur, omnes
Ad terram redeunt, terra fuere prius.

Ergò

Ergo homo cur cristas, cur colla tumentia gestas,
Cur nimium elatus corda superba geris?
Principium quod sit, tua quæ sit origo, memento;
Flebile principium, flebilis interitus.
Primum natus homo venturæ incommoda vitæ
Deflet, sunt vitæ principium lachrymæ
Et manibus pedibusq; iacet tum corpore vincetus,
Supplicio vitamq; inchoat ipse suam.
Prætereà brevis est hominis vita, atq; caduca,
Instabili somnoq; assimilatur homo.
Dormit homo fessus, sed quomodo dormiat ipse
Ignorat, recreat membra quiete sua.
Sic traducit homo vitæ sua tempora, nescit
Anni currendo quomodo prætereant,
Si totam noctem & multas dormiuit in horas,
Euigilans vix se decubuisse putat.
Sic homo longæui si vixit Nestoris annos,
Si vitæ numerat plurima lustra suæ,
Exactæ vitæ repetens si cogitat annos,
Paucos esse putat, præterijisse citò.
Vana est apparens in somnis omnis imago,
Splendida vt apparent somnia vana tamen.
Multa sibi in somnis homines agitare videntur,
Plurima prudenter perficere atq; loqui.
Si fugit ex oculis somnus, sapientia tota
Concidit, & nihil est quod putat esse aliquid,
Sic disponit homo prudens sua tempora vitæ,
Et sibi proponit callida consilia,

Cogitat,

Cogitat, hoc si sic faciam, transegero rectè
Vitam, atq; euenient prospera multa mihi.
Rarò consilijs sed respondere saluber
Assolet euentus, exitus est varius.
Irrita sunt quæcunq; sibi proponere quisquam
Audet, at eueniunt quæ volet ipse Deus.
Nox nulli fida est, certè nox nemini amica,
Terrent sæpe homines somnia vana nimis.
Sæpe putant homines se in flumina præcipitari,
Igniq; exuri corpora sæpe sua.
Nan rarò aduentare putant qui carcere plectant,
Carnificem de se sumere supplicium.
Sed quis terrores omnes, quis cuncta pericla,
Somnia quæ inducant, enumerare potest?
An non humanæ vitæ hîc ipsissima imago
Exprimitur, puluis, somnus, et vmbra sumus.
Mille modis miseri; per vitæ tempora regnat
Spes, metus, anxietas, insidiæ atq; dolor.
Floribus atq; herbis quæso quid amœnius? et quid
Gramine odorifico suauius esse potest?
Si videas florum atq; herbarum fortè colorem,
Certè mirari non satis ista potes.
Pictorem adducas, sed non tibi pinget odorem,
Imo natiuus nec color exprimitur.
Quid referam herbarum virtutes & medicinas,
Per quas corporibus reddita sæpe salus.
Herbarum sator ipse Deus florumq; creator,
Christus quàm mira gramina laude vehit.

Cùm

Cum Salomonem ipsum vestitu regis amictum,
Attamen his similem floribus esse negat.
Sed quid sunt flores pulchri, quid gramina campi?
Forma, color, facile concidit atq; perit.
Ventorum asperitas, æstus & frigora tollunt,
Quicquid virtutis, quicquid adest decoris.
Sic formosa hominis vita est florensque iuuenta,
Pulcher homo iuuenis, pulchra puella quidem.
Integer ætatis dum flos est dumque iuuenta,
Vires ingenuæ, florida membra vigent.
Ætatis sed non flos est durabilis unquam,
Nec constans forma est, perpetuæ manet.
Absumunt vires morbi, mors pallida formam
Aufert; nam iuuenes mors capit atq; senes,
Longævam ætatem viuendo attingere paucos,
Cernimus, & multos occidere ante diem.
Multi cum primum cœperunt viuere, rursus
Coguntur dire & mortis adire viam.
Multi cum primum lucem aspexere, vicissim
Coguntur tenebras visere tartareas.
Rem deplorandam, qui destinatus in æuam,
Perpetuo vt viuat, nec moriatur homo.
Exigua hunc labes tollit, rapit improba pestis,
Et iacet exanimis qui modò fortis erat.

Eheu cur tantis obnoxia vita periculis
Humana est, cur sic turba misella sumus?

Quenam

Quenā arumnarum caussa est, cur cura, dolores,
Morbi, & mors tandem corpora conficiunt?
In promptu caussa est, cœlestis numinis ira
Omnes nos dira morte perire facit.
Sed quæ caussa iræ tantæ? peccata nefanda
Deturbant miseros in mala tanta homines.
At tu dexter ades nobis, pie Christe venito,
Auxiliumq; tuis subsidiumq; feras.
Nec Deus immensam peccati respice molem,
Nec factis nostris reddere digna velis.
Aspice quàm tristi curarum mole grauemur,
Aspice quàm miseros multa pericla premāt.
Vndiq; nos terrent furibundi militis arma,
Bella & bellorum rumor vndiq; crepat.
Turca furens nimiùm nostris cervicibus atrox
Hostis adest, minitans vulnera, flagra, necem.
Pestis acerba lues villas, vrbesq; peragrat,
Atq; pedem sistit millia multa necans.
Flectimus ergo genu cordis, suspiria crebra
Ducimus, & pleno fundimus ore preces.
Eia preces nostras exaudi Christe redemptor,
Eia preces nostras suscipe summe pater.
Iratum nobis placato Christe parentem,
Irati auertas seua flagella Dei.
Sis bonus ô felixq; tuis, tibi dicere laudes
Omni vt possimus tempore sancte Deus.

A M E N.

Oratio

Oratio Ezechia regis Iuda,
Esaia 38.

HEi mihi sancte Deus, cur fors est omnib. vna,
Cur omnes eadē & tanta pericla premūt?
Namq; malos aduersa petunt, discrimine nullo
Impendent etiam pessima quaeq; bonis.
Infestant morbi, interitum mors saeva minatur,
Ærumnas nemo est qui queat effugere.
Omnibus ex æquo semper vox dicitur ista,
Quam Dominus regem dixit ad Ezechiam.
Heus dispone tuæ domui, valedicito mundo,
Finis adest vitæ, mox morieris enim.
Siue puer fueris primūmq; ingressus in orbem,
Ætatem vitæ seu mediam attigeris,
Siue senex fueris, te mors expectat auara,
Namq; hic non poteris viuere perpetuò.
Attamen interdum deuoto corde precantes
Audit, & his vitam prorogat ipse Deus.
Causa est, vt nomen diuinum glorificetur,
Propitio semper laus tribuenda Deo.
Ezechias igitur Iudæ rex sanctus, amator
Syncerae semper qui pietatis erat,
Migrandum esse sibi cū cognouisset ad vmbas,
Rumpenda & vitæ stamina fluxa suæ,
Continuò tristes oculos ad sidera tollit,
Iucundum namq; est viuere, triste mori.
Profundens

Profundens lachrymas ducit suspiria crebra,
Eia Deus ne me deseruisse velis.
Ne me immatura permittas morte perire,
Adde pater vitæ tempora plura meæ.
Eia memento Deus, me non vestigia patris
Multum peccantis, impia facta, sequi.
Aspice quòd coram te puro pectore vixi,
Non tamen omninò labe dolòue carens.
Cultus diuinos pollutos impietate
Purgavi, è medio pessima quæq; tuli.
Nec confido tamen propria in virtute. beatì
Quicumq; in Domino spem posuere suam.
Audit extemplò deuoto corde precantem,
Adiecit vitæ tempora plura Deus.
Reddidit ergo Deo grates rex inclytus; & sic
Dicamus grates ob benefacta Deo.

Gratiarum actio
EZECHIAE REGIS IV,
da, cùm egrotasset & conualuisset
ab infirmitate sua.

L Aus tibi sancte Deus, tibi soli gloria danda,
Laudandum sanctum nomen ubiq; tuum.
Tu vitæ Dominus: cùm terret mortis imago,
Contra spem vitam tu reparare potes.

G Quam

Quàm contristabar, suspiriaq; alta traheram,
Singultu pectus concutiente meum.
Cùm decumbenti diuina voce Propheta
Migrandum ex mundo diceret esse mihi.
Namq; videbatur mihi vox tristissima, mortem
Oppeties, posthac viuere non poteris.
Ergone, dicebam tristes submergor ad umbras,
Atq; miser tenebris obruor ante diem?
Siccine ego cogor deponere sceptrum paterna,
Maiestasq; perit regia tam subito?
Dimidios vitæ cùm vix peruenerim ad annos,
Narratur subito finis adesse mihi.
Horis consimilis vita est humana diurnis,
Horæ prætereunt, vita caduca perit.
Aurora infantes, media at lux clara iuuentam,
Vespera sed senium significare solet.
Auroram vitæ iam me transisse putabam,
Ætatis mediæ vix adisse dies.
Sed me iam properas tenebræ obtrudere morti,
Ætatis dum flos integer illæ est.
Qui Dominum timeant longæuos credideram esse,
Iniustos autem tartara adire citò.
Atq; meus proauus David Rex atq; Propheta
Peruersi subito commorientur, ait.
In fossam Dominus crudeles, atq; dolosos
Deiciet, vitamq; abbreviabit eis.
Ergo si ego iuuenis morerer, fraudisq; doliq;
Multorum scelerum dicerer esse reus.

Ne

Ne me immatura permittas morte perire,
Adde pater vitæ tempora plura meæ.
Eia pater cur non posthac ego lumina Solis
Aspiciam, cur non templa videbo Dei?
Cur non in cœtu Dominum exorabo piorum,
Ritu solenni festa Dei celebrans?
Cur non cum reliquis humanæ gaudia vitæ
Carpam? longæuos dulce videre dies.
Non habeo heredem cui tradam regia sceptrâ,
Cum nondum dederis tu mihi filiolum.
Audieram ex nostro venturum semine Christum,
In me finitur sed mea posteritas.
Ut casa Pastoris transfertur, sic mea vita,
Ut non in mundo permaneat stabilis.
In medioq; operis ceu textor fortia fila,
Cum telam texit, rumpere sæpe solet:
In medio cursu sic iam mea tempora vitæ
Scinduntur, cogor mortis adire viam.
Quanta tristitiæ, quantus dolor occupat artus,
Nocte iterum lucis tempus adesse petens:
Tempore sic ægri sperant meliora futura;
Ab dicunt Dominus cras meliora dabit.
Ne me immatura permittas morte perire,
Adde pater vitæ tempora plura meæ.
Magnanimus veluti leo prædam nactus opimam
Ossa furori ardens comminuisse solet:
Sic dolor & morbus miserum infestantia corpus,
Heu vires omnes comminuere meas.

Attamen in medijs ærumnis murmure rauco,
Ceu grus mussanti deprecor ore Deum.
Et velut aërea gemere haud cessabit ab vlmo
Turtur, sic gemui tristis & attonitus.
O Deus, ô pater, ad cælos oculosq; manusq;
Extendens oro, iam miserere mei.
Sic ego confectus curis sum, me penes vt sit
Auxilij nullus consilijq; locus.
Non video mortis me euadere posse periculum,
Obstupuere manus, obstupuere pedes.
Iamq; efflanda anima est ægroto ex corpore, eundem
Ad vita ereptos morte trahente patres.
Suscipe me miserum, ex aduersis erue tristem,
Redde mihi vitam letitiamq; Deus.
Ne me immatura permittas morte perire,
Adde pater vitæ tempora plura meæ.
Tu verax, clemens Deus es, iustusq;, potensq;,
Tu stas promissis tempus in omne tuis.
Liberè agit quodcumq; facit tua prompta voluntas,
Nec te captiuum Stoica fata regunt.
Non te fata regunt, flectunt tamen impigra vota,
Quem nemo vincit, vincere vota queunt.
Exemplo hoc proprio discebã, namq; propinquus
Morti mox vitæ restituebar ego.
Ergo tibi meritò laudum præconia dico,
Ergo tibi semper carmina grata cano.
Non taceo ingratus, non alta silentia duco,
Sed tua facta cano, nec reticenda puto.

Spes

Spes vbi nulla fuit, contra spem sæpe medela
Factus es agrotis, pro bonitate tua.
Non solus panis vitam sustentat, & herbae,
Nec semper morbos pharmaca sola fugant.
Viuimus in verbo Domini, clementia patris
Supremi est nobis spes rata, vita, salus.
Non me immatura permittis morte perire,
Adiungis vitæ tempora plura meæ.
Namq; nec infernus cantat tua facta stupenda,
Nec te mors, nec te turba sepulta canit.
Sed nos, qui in mundo vitales carpimus auras,
Laudamus semper numina sancta Dei.
Hymnos & Psalmos deuoto dicimus ore,
In nostrisq; sonant organa læta choris.
Et tua filiolis facta hæc narrabimus olim,
Vt discant vero corde timere Deum.
Officium patris est charis proponere natis,
Inculcare simul dogmata sancta Dei.
Vt nati natorum & qui nascentur ab illis,
Vt pia posteritas discat amare Deum.
Tu semper nobis adsis, defende, gubernas,
Vt noua cantemus cantica sæpe tibi.
Non me immatura permittis morte perire,
Adiungis vitæ tempora plura meæ.
Fac simus grati semper tibi, te celebremus
Hic, & venturo tempore sancte Deus.

A M E N.

*HISTORIA JONÆ
Propheta Heroico metro
explicata.*

Noua fert animus tibi rerum condi-
tor alme
Pro meritis summis cantare & dicere
laudes;

*Annue sancte pater cœptis, & suggere vires,
Propitiusq; meam tu tu modò dirige mentem,
Ut tua facta canam totum celebranda per orbem,
Semper digna cani, genti quæ facta vetustæ
Monstrauere grauem cœlestis numinis iram,
Ob peccata hominum pœnam exitiumq; minantē:
Quæis simul est ostensa Dei clementia mundo,
Qui pœnas iramq; suam, cum pœnitet antè
Actæ vitæ homines, retrahens, ad utrūq; paratus,
Vel punire malos, placidum ué ostendere vultum
His qui conuersi summum placare Tonantem
Conantur precibus, meliorem ducere vitam.
Quanta Dei bonitas pollutum crimine cædis,
Impietate grauem, furtoq; doloq; rapinis,
Horrendis populum peccatis nobilitatum,
Non tamen idcirco meritis obtrudere pœnis
Ultricemue in eos effundere protinus iram
Quantumuis iustam: at veniæ concedere tempus,
Et*

E
Et veluti digitis certam monstrare salutem,
Mittere qui reuocare gradum, desistere cæptis
Iniustis moneant, meliorem ducere vitam,
Flectere supremum gemitu precibusq; parentem,
Ut sua conuersis clemens peccata remittat.

i-
re
n,
e:
,
t
Mitte Deus Ionam præsentem ostendere mundo,
Assyriam longè superet quòd crimine gentem,
Ut toties moniti tandem vitare periculum
Exemplo discant aliorum, & scandala tollant.
Verùm sancte Deus misisti sæpe Prophetas,
Vox tua quottidiè templum clamoribus implet,
Tedium ad vsq; sonant pœnam minitantia verba
His qui peccatis multis se commacularunt;
Añt emendantur pauci. Tu Christe maligno
Mundo iudicio properes imponere finem,
Quando tuis reddes vitam æternamq; salutem,
Et peccatores ad tartara præcipitabis,
Tum demum mundi cessabunt impia facta;
Expectanda prius vitæ emendatio non est.
Colluies mundi ruit ad mala crimina prona,
Et tamen intèr eà constanti voce monendum,
Inculcanda Dei semper metuenda potestas,
Ostendenda Dei miserentis prompta voluntas.
Namq; suos nouit Dominus numerumq; suorum,
Nec Domini emissus sine fructu sermo redibit,
Assyrii exemplo sunt vobis impia turba.
Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum.

*Vrbs fuit Assyriae regali splendida luxu,
Niniuen hanc Nini regis de nomine dicunt,
Vrbs populosa quidem reliquisq; potentior armis,
Tum gemmis auroq; potens, & rebus abundans,
Hæc veluti reliquas inter caput extulit vrbes;
Sic & felici successu facta superba
In peccata ruit nimum fœdissima, & ipsa
Impunita iram Domini attraxere seueram;
Ut tamen est clemens Dominus, nec morte perire
Vult quenquam, mittit Ionam, cui talia fatur:*

**Manda-
tum Dei.**

*Iona serue Dei, summi audi verba Tonantis,
Quod tibi mādātū dederō tu protinus istud
Exequere, atq; absit mora, quæ mea iussa retardet;
Surgito, continuo regalem accedito ad urbem
Niniuen, & populo, tum regi dicito, quod sint
Impia turba nimis, blasphemi, & mole grauati
Peccatorum. namq; meas peruenit ad aures
Impietas regis, scelerati crimina vulgi,
Frausq; dolusq; omnis. Transactis ergo diebus
Paucis in cineres redigetur Niniue tristes,
Si non conuersi fuerint veniamq; precentur.*

**Delibera-
tio Ionæ
de fuga.**

*Audijt hæc Ionas summi mādāta Tonantis,
Audijt, at cæpit multas sub pectore curas
Voluere, nam dubiã traxit sententia mentē
An faciat mandata Dei, quæ iuncta periculo
Esse videt magno, an verò fugiendo salutem
Debeat*

Debeat ipse sibi securam quærere, prorsus
Ergo animi dubius, tristis, suspiria ducit;
Hei mihi quò nunc me vertam in discrimine tãto,
Quid faciam tanta curarum mole grauatus?
Nemo alius mitti poterat; nullusné Prophetæ
Præsto est, Assyriam qui sit mittendus ad urbem?
Cur extrudor ego solus? cur mittor ad urbem
Externam, ad populum cui nostræ cognita non est
Religio gentis, quæq; hætenus Ethnica turba
Innumeros coluere Deos, Martemq; Iouemq;
Quotidieq; novos fingunt cultusq; Deosq;
Cur conculcandus pedibus, manibusue cruentis
Discerpendus ego abiicior, populiq; furori
Exponor, misera & crudeli morte necandus?
Esto. Deum credant sua facta videre nefanda
Atq; securam pœnam, quam dixero adesse
Ante fores; Dominum clementem agnosco bonũq;
Quod si pœniteat facti, veniamq; precentur,
Iram deponet Dominus, pœnamq; remittet:
Continuò mendax, falsusq; Prophetæ vocabor.
Aufugiam potius celeri pede, deuia quærens,
Et quantum potero præsens vitabo periculum,
A facie Domini fugiens ego, trans mare curram
Ad populum ignotum, terram non antea visam
Quò me ventus & aura ferent, si excessero fines
Iudææ, loca siq; petam procul inde remota,
Cessabit Dominus mittendum quærere Ionam.
Nunc huc, nunc illuc tremebundo pectore tristes

Fert oculos, quærens fugitiui more recessus,
Sæpè iter ingreditur, reuocatq; gradum, pede sistit
Incerto gressum, sæpe alta cacumina montis
Ascendit, rursus sæpe ima valle moratur,
Tandem progrediens soluentem littore nauem
Conspicit, ascendit, venti se credit habenis.
Et iam conclusus nauis, tamen omne periculum
Effugit nondum, Dominus quia regnat ubiq;
Ima petit nauis latebras quæritq; remotas,
Ne nautæ timidum sentirent; vt timidi omnes
Conspæctum populi fugiunt, atq; auia quærunt.

Quàm sunt humani cordis vanissima sæpe
Consilia; & sua sæpe homines prudentia fallit,
Multa putant prodesse sibi, conferre salutem,
Quæ tamen aduersante Deo sunt caussa dolorum,
Perniciemq; solent non rarò inducere grandem.
Sic esu pomi credebat se sapientem
Primus homo, atq; magis tum q; fuit antè futurum
Fælicem; at miserum temerè concepta fefellit
Spes sua, cum vitam speraret, protinus ipsum
Mors sequitur, totamq; ærumnis posteritatem
Obiecit. Ionas cum descendisset ad ima
Nauis, se tutum iamq; euasisse periculum
Omne putans, subito in mortem submergitur atrâ,
Verùm quæso vide quàm sit puerile Prophetæ
Propositum (liceat paruis componere magna)
Sæpe caput tunica pueri, faciemq; tegentes

Nec

*Nec reliquum credunt à quoquam posse videri
Corpus: sic naui se quando absconderat ima,
Ignorare Deum se descendisse putabat
Jonas, & præsens euadere posse periculum.*

*Suscipere hospitio fontes, inducere pœnam est,
Seq; suosq; omnes aliorum onerare periculis;
Velle iuuare alios, seseq; inuoluere curis.
Accidit id nautis, quamuis sint inscia turba,
Quamuis nescirent Domino peccasse Prophetam.
Exoritur subito (dictu mirabile) tristis
Tempesta, Domino ventos agitante feroces,
Horrescunt nautæ, gelidusq; per omnia currit
Ossa tremor, quid agant ignari vasa repente
Ex naui eijciunt, ne nauem sarcina tanta
In mare suppressam vastis submergeret vndis.
Iam iam naufragium facturos se esse putabant,
Iam suffocandos in aquis, iam iamq; videbant
Ante oculos positura non euitabile damnum.
Quid facerent nautæ miseri, attoniti, atq; periculo
Mortis in extremo positi, cum spesq; salusq;
Obuia nulla foret, cum nulla redemptio præsto,
Ad superos proni deuoto pectore tollunt
Ora, manusq; suas, & ceu consuevit adorat
Numen quisq; suum, vitamq; in morte petebat;
Æole ventorum rex inclyte discute ventos,
Emissos antro reuoca, vinclisq; coerce;
Tu Neptune pater fluctus compesce marinos,*

Dijq;

Dijq̄ Deaq̄ omnes pariter coniungite vires,
Cultores vestros rebus seruate secundis.
Interea Ionas navis descenderat ima
Consciis admissi sceleris mærens, hominumq̄
Conspetum fugiens, pelagus se quærere norat
Absorbendum, & ibi recubans somnũ capit altũ.
Mæroris certè fuit hæc dormitio Ionæ;
Non etenim sunt hæc securæ indicia mentis.

Accedit timidum somno oppressumq̄ Prophetam
Ipse gubernator navis. Tu suaviter, inquit,
In tanto dormis nostro, stertisq̄ periclo,
Curarum vacuus, nec te communia tangunt
Hæc mala cervici nunc impendentia nostræ,
Surge, Deumq̄ tuum votis ardentibus ora,
Ut nos eripiat, si fortè exaudiat, ut non
Omnes horrenda pereamus morte, rogato.

Horrissonum pelagus, vis vento incussa supernè
Et præter morem furibundum fluctibus æquor
Causa fuit nautis peccatum inquirere, propter
Quod videant tantis se oppressos esse periclis.
Naufragij autorem tentant inquirere sorte,
Remq̄ per incertam certum euitare periculum
Posse putant: nec eos sua spes concepta fefellit;
Deprændunt missa fugitium sorte Prophetam,
Nec virtus ea sortis erat, velut Ethnica turba
Credebat, Deus augurium sortemq̄ regebat.
Mox ubi cognoscunt propter quem sæniat ira
Divina,

Diuina, ex ipso cupiunt cognoscere caussam,
Quare iratus ei Deus, & cur vindice quærat
Dextra, quæq; vident tremebundo pectore quærūt:
Tu quis es? vnde venis? quò tendis? quisue reatus?
Quod crimen, propter quod tecū inuoluimur atræ
Morti, & vindictam cælestia numina quærunt?

Tum miser, Hebræa natus de gente, supremum
Hunc agnosco, coloq; Deum, qui conditor orbis
Et cælum & terram nutu, mare & omnia fecit,
Eius conspectum fugio, malè conscius, atq;
Obsequium præstare Deo quia nolui, in istud
Incidi ego, præsens accersuiq; periculum.

Obstupuere viri sua dum peccata fatetur
Ingenuè, quærunt, Dic vltro, quid faciendum.

Esse putas nobis vt sit tranquillius æquor?
At Ionas, Mortem meritus, moriarq; libenter,
Tollite, præcipitate, maris me gurgite pressum
Suffocate viri, mea sic peccata merentur.

Ast illi potiùs cupientes parcere vati,
Summo conatu tentant appellere littus,
Sed magis atq; magis scelerū vindex mare sæuit.
His igitur motus factis nauarcha stupendis,
Et reliqui Dominum didicere agnoscere nautæ,
Sollicitiq; Deum sincero corde vocarunt:

Sancte pater Deus Ebræorum cunctipotenti
Qui dextra ostendis miracula plurima nobis,
Vnius ob noxam nos omnes perdere noli,
Tu scis, nequaquam quòd delectemur atroci

Suppli-

Supplicio, potiùs conati parcere Ionæ.

Confessus peccata sua est, tua sævit in ipsum
Ira, tibi pœnas luit, innocuum ergò cruorem
Ne miseris, petimus, tua sancta potentia nobis
Imputet, impletur tua sacrosancta voluntas
In manibus nostris, diuinæ iræq; ministri

Nos sumus. Ergò Deus nostri miserere precamur.

Mox mādata dabat prudens nauarcha ministris:

Vos igitur Ionā manibus compréndite vestris,

Extremamq; statim nauis deducite ad oram;

Inde virum in pelagus iam præcipitate ministri;

Peccauit Domino, ad pœnas Dominus trahit

Vt dixisti, ex ore tuo te iudico Ionæ. (ipsum,

At te sancte Deus deuoto corde rogamus,

Esto propitius nobis, quia causa Prophetæ

Non sumus interitus, nec delectamur atroci

Supplicio; potiùs conseruassemus eundem

Si potuissemus, nunc ipso in mortis agone

Commendamus eum tibi, tu solatia præbe.

Nec mora, quod nauarcha iubet fecere ministri,

Attamen & dictis consolabuntur amicis.

Quo res summa loco Ionæ sint quanta pericla

Cernis, proiectus iam suffocabere in vndis,

Abijce quaeso metum atq; animo patiare virili

Supplicium, quoniã breuis est dolor; atq; ferendum est

Euitare nequis Ionæ quodcunq; periculum.

Liberat à curis mors, est finisq; laborum.

Si

Si simul emoritur cum corpore spiritus, heus tu
Non metuendus erit cruciatus mortis in hora
Si viuunt animæ post mortem corporis, ora
Ut tibi propitius Dominus peccata remittat.
Clementem Dominum se supplice voce vocantes
Credimus exauditurum, atq; æterna daturum
Gaudia, forti animo præsentia ferta pericla,
Namq; tuo exemplo superos curare docemur
Res hominum, de amare bonos, punire scelestos.

Jonas iam moriens hæc verba nouissima fecit:
Omnipotens, æterne Deus, vindex, bonè, iuste,
Qui Deus et pater es patrum nostrorū, Abrahami,
Isaci, & qui semper erat tua cura Iacobi,
Coram te grauius peccavi, dum tua nollem
Quæ dederas pia iussa sequi, nunc ergò periculis
Obijcior meritò, iam suffocandus in vndis,
Tradis supplicio corpus Deus, accipe quæso
Quam tibi reddo animā, præsens in mortis agone
Esto mihi misero, clemens peccata remitte.
Tu Iudæa vale, templum cultusq; valete
Diuini, & fratres quos hoc ego in orbe videre
Ultrà non potero, visurus luce futura:
Me tibi commendo moriens Deus ô miserere,
In medio mortis, pater optime, tu mihi vita es,
Perpetuamq; dabis licet hanc amifero lucem.
Sic ait, & nautis præbet se præcipitandum.
Et mirum, pelagus cœpit tranquillius ire
Quampri-

Quamprimum immani Ionam absorpsisset hiatu
Atq; magis mirum, prægrandem corpore piscem
Ad nauem adduxit Dominus, rictu ille voraci
Deglutiuit eum, ratus accepisse rapinam:
Sed pro morte domum præbebat vati habitandã,
Tres noctes, tres atq; dies in ventre latebat
Ceti. His exactis ad littus reddere viuum
Bellua iussa virum validum nec corpore læsum,
Hic iterum Ionas deuoto corde precatur,
Lætus agit grates domino, quòd liberet ipsum.

Oratio Iona Propheta

Et orauit Ionas ad Dominum
Deum suum, de vtero piscis, &
ait &c.

Sæuo retentus carcere

Lucem dierum non videns

Mortis pericla sentiens

Quantos dolores sustuli:

His obruto mihi malis

Pressoq; tot doloribus

Cordis

*Cordis pauore percito
Concepta spes erat tamen.
Humana tunc redemptio
Externa liberatio
Me non iuuare quiuerat,
Solut redemptor hic Deus.
Solut iuuat suos Deus,
Quem constitutus anxij
Pressus necis pauoribus
Solum vocare debui.*

*Ex ventre piscis eiulans
Ab inferisq; clamitans
Non sum relictus à Deo
Peccaueram licet prius.
Audiuit atq; opem tulit
Præsens Deus mortalibus
Ipsam fide inuocantibus,
Adest eum timentibus.
Tu me marino gurgiti
Et implicasti fluctibus*

H Flumen

Flumen tuum me transiit,
Iram Deus sensi tuam.
Durum teri me dentibus
Immanis eius belluæ,
Durum magis me proijci
Conspectu ab ipsius Dei.
Templo Dei quòd exulo,
Ionæ quòd offensus Deus
Fauere creditur minùs,
Istud mihi grauissimum.
Cingunt maris me gurgites
Horrore mortis personant
Fluctus caputq; transeunt,
Mortis tenebras ingerunt.
Descendi ad ima montium
Ut me uehebat bellua
Nunc eleuans ad sidera
Nunc suppressens ad tartara.
Sed tu tua potentia
A morte dira liberans

In

In pisce vitam sustines
Meam reseruas integram,
Ne carcer ille squalidus
Fœtore perdens pessimo
Ionam cibum consumeret,
Sed viua membra redderet:
Cum nullibi spes obuia
Me liberaret ex malis,
In pectorisq; angustia
Spes in Deo fuit meo.
Qui vanitatem diligunt
Suisq; fidunt cultibus,
Dei negant clementiam
Nec consequuntur gratiam.
Sed cum Deus me iuuerit,
Cantabo grato pectore
Reddam perennes gratias
Deum subinde prædicans.

His actis repetit Dominus mandata, secundo
Præcipiens Ionæ, iam nunc accedito ad urbem
Niniven, atq; ipsis quicquid mandauero dicas,

H 2

Continuo

Continuò Ionas dictam commigrat ad urbem,
Iussa Dei exequitur clamans & talia fatur:

Concio Jonæ ad Ninivitas.

Audite ô ciues, mea ne contemnite verba,
Rex cæli & terræ, supera qui regnat in arce,
A quo progenies hominum, qui viuere cunctis
Et dedit, & vitam seruans alimenta ministrat,
Res hominum cui sunt curæ, qui præmia iustis
Attribuit, pœnas sceleratis irrogat, ipse
Et vos horrendis peccatis commaculatos
Esse videt, regnant inter vos crimina multa:
Contemptus Domini, impietas, falsusq; Deorum
Cultus, quos colitis nil sunt nisi sculptile lignum,
Vana superstitio, vanæ fiducia mentis;
Quamuis oretis deuotè, surda vocatis
Numina, quæ nullam possunt conferre salutem,
Quam debebatis cognoscere religionem,
Atq; Dei veri cultus contemnitis, & sunt
Incantatores multi, periuria multa,
Cædes, insidiæ, creberrima furta, rapinæ,
Luxus, delitiæ, vesana superbia mentes
Exagitant vestras, tum seditiosa parentes
Atq; magistratus oderunt subdita turba;
Obscænus sermo, scortatio, fœda libido
Laudatur, multis etiam impia vita probatur,
Quod

Quodlibet id peragunt, faciunt impunè quod au-
Atq; ex sublimi tu me contemnere noli (dent,
Rex solio, quoniam nil munitissima profunt
Oppida, nec fueris latitans post mœnia tutus,
Nec te defendent cataphraëti militis arma
Irato Domino. Sunt & sua crimina regi,
Sunt & primatum vicia, horrendis scatet aula
Peccatis; ideo moniti resipiscite cuncti.
Non iucunda loquor, sed quæ me dicere oportet.
O ciues exactis quadraginta diebus
Commotus Dominus decreuit perdere gentem
Assyriam, ex cælo demittere sulphur & ignem,
Depopulari agros, urbemq; exurere vestram,
Et viuos homines ad tartara præcipitare.
Non delector ego vobis infausta precari,
Inuitus venio, vi multa extrusus ad urbem
Vestram. Nunc ergo meliorem ducite vitam,
Ut sic possitis tantas euadere clades,
Et lenire pijs Domini clamoribus iram.

Audijt has tristes plebs conglomerata Prophetæ
Voces, atq; illas diuina oracula censent,
Terrentur, trepidant, horrescunt, nescia turba
Quid facerent; atq; hic rumor peruenit ad aulam.

*DELIBERATIO RE-
gis Niniuitarum cum suis
Consiliariis de concione
Jona.*

*C*onueniunt subito primates rege iubente
Quos Rex alloquitur. Dum nos fortuna foue-
Prospera, consilijs monitisq; salubribus olim (bat
In dubijs rebus mihi praesto saepe fuistis,
Plurima prudenter monuistis; quid faciendum
Dicite quaeso modo. Peregrinus namq; Propheta
Excidium extremum nobis vrbiq; minatur:
Territa iam plebs est ipsius voce minaci,
Quae profert credunt diuina oracula, tentant
Sollicitare Deum precibus, ieiunia quaerunt.

Consiliarius primus.

*Qui primas tenuit confestim talia fatur:
Inclyte & armipotens, Rex inuictissime cunctis,
Qui gentem Assyriam magna virtute gubernas,
Cui reliqui parent populi, regesq; ducesq;
Qui bello fortes superasti saepius hostes,
Liberius si quid modo dicam ignoscito quaeso,
Quenam quaeso pater te iam dementia caepit?
Vnius*

*Vnius cur rex terreris voce Prophetæ?
 Qui profugus venit nostræ maledicere genti.
 Nil nisi triste loquens atq; optans pessima nobis
 Inuidet ipse tibi, atq; tuis, rex inclyte, rerum
 Felicem statum, tranquillâq; regna mouere &
 Perturbare studens horrenda seditione.
 O Rex, si proferre licet quod sentio, certè
 Conspirasse ipsum cum nostris hostibus aio,
 Atq; intra muros hostem introducere velle,
 Qui ciues iugulent, iniectis ignibus urbem
 Exurant, aedes spolient, populentur & agros;
 Dico non cuius credendum esse ardelioni
 Fumoso ex cerebro sua somnia vana loquenti.
 Sæpe etiam Ebræi spernentes vana putarunt
 Verba Prophetarum, nec eos audire volentes
 Urbibus eiecere suis, Cur Niniven urbem
 Mendax & profugus vates conturbat inermis?
 Carcere plectatur, tormentis conficiatur,
 Dicere cogatur quis nobis miserit ipsum,
 Quis struat insidias tibi Rex inuicte tuisq;.*

Consiliarius secundus.

*Dixerat at meliùs dum rem perpenderet alter
 Quo res summa loco, præsentia quanta pericla
 Profert ore sonos & Regi talia fatur:
 Rex virtute potens, multa bonitate celebris,*

H 4

Iustitia

Iustitia populos & dexteritate gubernans,
Non omninò puto contemnendum esse Prophetã
Ebraum, quanquam nobis aduersa loquatur,
Non mihi vaniloquus, nec mendax esse videtur,
Simpliciter dicit; veri est oratio simplex:
Nec fingit vultus, nec decipientia verba
Profert, sed Regi & nobis peccata recenset,
Quæ contra Dominum multa sunt fraude peracta.
Atq; ire inficias miseri non possumus, omnes
Nos esse horrendis peccatis commaculatos.
Nostris ergo Deum iam succensere malignis
Credibile est factis, multa atq; enormia cum sint.
Præterea insidijs non posse aut velle nocere
Nostræ vrbi vatem credo, cum dicat aperte
Et pœnas minitetur eis, desistere ab actis
Qui nolunt prauis. Illi qui decipere vrbes
Intentant, laudare solent, extollere eorum
Virtutes, rerum euentus simulare secundos;
Adde quod Assyriæ genti vobisq; Propheta
Ignotus prorsus non sit, cum fama loquatur,
Consilio populum & Regem rexisse salubri
Ieroboam, instinctu diuinoq; esse locutum.

Consule nunc igitur tibi, Rex inuicte, tuisq;
Quæ nobis veram possint conferre salutem,
Prospice, apud miseros homines spes nulla salutis.
Quærendum ex cælo auxiliũ, precibusq; vocandus
Æternus pater est, ne perdat funditus omnes;
Non aduersandum Domino reor omnipotenti.

Audijt

*Audiūt orantem Rex, audiuitq; corona
Primum, placuitq; viris quod dixerat ipse:
Namq; voluntates ipsorum & corda mouebat
Spiritus omnipotens, ne aduersarentur eidem;
Cæpit terror eos, inuasit cælitus horror,
Nec contra Ionam quicquam tentare valebant.
Rex igitur subito proceresq; edicta trementi
Proponunt populo, quæ præco voce per urbem
Stentorea exclamans promulgat, Rege iubente.*

PROMVLGATIO edicti Regii.

Præco,

*A*udite o ciues summi mandata Tonantis,
Audite Assyriæ Regis, procerumq; verenda
Iussa, ea quæ vobis non est contemnere tutum,
Omnia qui nouit, qui verè omniscius, ipse
Vidit quæ nostræ horrendæ sint impietates,
Misit qui moneat meliorem ducere vitam
Si pœnas iramq; Dei vitare velimus;
Quadraginta dies quamprimùm præteriere
E cælo flammæ horrendum sulphur & ignem
Emittet Dominus, quibus vrbs succensa peribit
Nostra, admissorum scelerum nisi pœniteat nos.
Rex igitur noster, cui vos parere necesse est,

H 5

Ne

Ne quis vana putet diuina oracula, mandat,
Mandat quisq; suas agnoscat vt impietates,
Vult vt pœniteat scelerum iam quemq; suorum.
Peccatum satis est, moniti resipiscite ciues.
Nec gustare cibum, nec pocula sumere quenquam,
Nec sua iumentis proponere pabula vult Rex.
Nec pecora ex stabulis potatum educere vestris,
Nobiscum esuriem patiantur ouesq; bouesq;
Atq; sitim, repleant mugitibus aëra raucis.
Fœmina, vir, puer atq; senex ad sidera palmis
Sublatis, proni, tremebundi, poplite flexo
Exorate Deum, suspiria ducite crebra,
Non gestu tantum, nec lingua, cordibus imis
Et verò gemitu ad Dominum clamate supremum,
Ieiunate omnes, vigilate, orate frequenter,
Ornatas vestes deponite, corpora vestra
Et pecudum saccus fœtens, squaloribus ater
Circumdet, cinerem capitiq; aspergite vestro,
Pœniteat scelerum, moniti resipiscite ciues.

HÆC SUNT QUÆ MAGNI MANDAVI
NOMINE REGIS.

Territa plebs fuerat viso auditoq; Propheta
Clamore assiduo totam qui impleuerat urbem,
At magis horrescit populus dum Regia iussa
Audit, dum totam turbari comperit aulam,
Nec regem, nec primates, nec nobiliores

A pœna

A pœna tutos trepidare, iramq; timere
Diuinam, audita terreri voce Prophetæ.
Iam tum consilij prorsus nihil auxiliq;
Præ manibus, iam tum conclamatū esse putabant
Actum de se, deq; vrbis populiq; salute,
Ut solet in rebus dubijs: plebs conglomerata
Nescia quid faceret, regem decreuerat ipsum
Compellare, orare, & supplice voce precari,
Ut rex, si posset, mala tanta auerteret, antè
Ut factum, quoties truculentus ciuibus hostis
Interitum fuerat dirum, exitiumq; minatus.
At sibi dum rex ipse timet, dum nobiliores
Abijciunt animum, consternatiq; videntur,
Tum verò agnoscunt non euitabile damnum,
Humano auxilio non tolli posse periculum.

Rex tristis tanto motus subitoq; periculo
Cum non instructas acies, equitumue phalanges
Aduersus se stare videt, quibus obuius ire
Bellaci dextra atq; armato milite posset,
Non metuenda modò furibundi militis arma.
Non homo contra hominem stabat, contraq; virū
Assyrios contra Dominus Deus ipse mouebat (vir,
Bellum, vbi nemo fuga poterat sibi consuluisse.
Omnia namq; potest Dominus prosternere nutu.
Ergò Rex solio sese demittit ab alto,
Et prostratus humi iacet vdo in puluere terræ,
Abijciens auro & gemmis diadema refulgens
Induitur

*Induitur sacco, iacet in cinere, omnipotentem
Pectore contrito precibusq; ardentibus orat.*

ORATIO REGIS
*Niniuitarum, humiliantis se
coram Deo, & culpam
deprecantis.*

E*ia Deus miserere mei, miserere meorum,
Ne tua nos perdat iustissima quæsumus ira.
Siccine ego & vita & regno spoliabor auito?
Proh dolor, ante diem sensurus vincula mortis.
Ducimus Assyrii nos vsq; ex Assure stirpem,
Qui multa virtute potens, qui Niniuen urbem
Turrigeram extruxit, quæ nobis Regia sedes.
Sed quid profuerit præclaro stemmate natum
Et proavos numerare meos virtute potentes.
Quid quod sum Nini generoso sanguine cretus
Et celebrem Beli iactem mihi posteritatem
Belides dictus. Quid sunt nisi nomina vana?
Quadraginta dies quamprimùm præterierunt,
Hei mihi, tū moriens tristes submergar ad umbras
Tam paucosq; dies vitæ superesse feruntur,
Nec potero ulterius vitæ vti commoditate,
Iucundumq; oculis venturo tempore solem
Aspicere*

*Aspicere: ah pereo, & mecum mihi subdita turba,
Tu nisi summe parens nostri miserebere, si non
Susceptam subito clemens abieceris iram,
Ebraeus vates cecinit tristissima nobis.
Nec satis esse refert horrenda hac morte perire,
Æternas pœnas propter peccata luetis
Inquit. Peccati ni vos & criminis acti
Pœniteat, Domini & precibus placabitis iram.
Eia Deus miserere mei, miserere meorum,
Ne tua nos perdat iustissima quæsumus ira.*

*Hei mihi, sancte Deus, vesana superbia mentem
Sæpe meam inflavit, tumidus præcordia circum
Iustitiæ oblitus propriam super omnia laudem
Quæsiui, arridens, arrectis auribus hausi
Assentatorum voces vanissima verba,
Qui me Dys etiam similem immortalibus esse,
Inuictum qui me dixere, armisq; potentem
Totius terræ Dominum, summumq; monarcham,
Quiq; ex sublimi reliquos regesq; ducesq;
Aspiciens merito præ me contemnere possem
Ut qui me multò sint viribus inferiores
Et multos virtute mea, virtute meorum
Maiorum domitos populos, & sub iuga missos,
Quòd subiecta mihi sint florentissima regna,
Et quòd ego Dominus populosa hac dicar in vrbe
Diuos nos dicunt, mortales esse videmus,
Dicimur inuicti, exiguo superamur ab hoste,
Dicimur*

Dicimur illustres, obscurant crimina famam,
Tum rerum Domini faelices atq; sereni
Non secus atq; alios inuoluunt nubila reges,
Non secus atq; alios nos infortunia terrent.
Clementes Domini, benefactoresq; vocamur
Austeri potiùs dicendi, vi gerimus res,
Vi premimus populos, & sub iuga mittimus, &
Visu rex facilis, nec dictus affabilis vlli, (nec
Quem metuunt omnes paruo iacet vlcere victus,
Viribus exhaustus cœlum clamoribus implet,
Cùm premitur morbo & terretur imagine mortis.
Hem quò nos miseros vesana superbia ducit?
Sed quorsum repeto miser hæc, cur cogito voces
Blandiloquas? prostratus humi iaceo, inq; profudè
Regia maiestas cecidit mea, iamq; potentem
Et me maiorem Dominum cognoscere disco
Te, qui, sancte Deus, cœlum terramq; gubernas,
Qui rex æternus, cuius sine fine manebit
Imperium, nos & nostrum durabile non est
Regnum, te penes est & vis & summa potestas,
De solio turbare potes Deus alme potentes,
Abiectosq; potes summa ad fastigia rursus
Euehere: extollis miseros, reprimisq; superbos;
Tu Deus inuictus, te nulla potentia vincit,
Rex immortalis solus tu viuus in æuum,
Tu sine principio es Deus; & sine fine manebis.
Eia Deus miserere mei, miserere meorum,
Ne tua nos perdat iustissima quæsumus ira.

Hem

Hem si sic pereo (quanquam meliora daturum
Spero Deum lachrimis victum nostrisque querelis)
Hæc narrabuntur de nobis, fabula vulgi
Nos erimus. Sed vos, qui posthac sceptrâ geretis,
Qui populos vobis subiectos deinde regetis,
Discite iustitiam moniti & non temnere Diuos.
Nam quanquam vindicta Dei veniat pede tardo,
Compensat gravitate tamen quod tardius adsit:
Normaque iudicij lex sit, non vestra voluntas,
Nec vestri adfectus dominantur, & exulet ira.
Ira viri nam quod iustum est non fecerit unquam.
Eia Deus miserere mei, miserere meorum
Ne tua nos perdat iustissima quæsumus ira.
Exuo purpureas & tinctas murice vestes,
Abijcio gemmas, argento auroque cathenas
Fulgentes, cedat vestis modo serica sacco.
Signum tristitiæ veræ vilissima vestis,
Squalidus obductusque situ mea corpora circum
Saccus deliciae sint, ornamentaque saccus
Regia, iam mea sic quoniam peccata merentur
Vestiri: cinis est mihi pro diademate regis
Aspersus capiti: iaceo hic in pulvere terræ
Rex modo qui fueram, nunc abiectissimus ipse
Et minimus plebis, mea sic peccata merentur.
Summe parens coram te rex & rusticus idem,
Nec personarum observas discrimina, punis
Regem cum populo, regum non arma vereris,
Nec te terre bunt minitantiâ verba tyranni.

Fulmina

Fulmina cū torques cœlum tellusq; tremiscunt,
Horremus miseri, iam iam ruitura putamus
Omnia, quassari, iam fundamenta moueri
Terræ, prosterni, contundi fulmine nostra
Corpora, nam multos horrenda hac morte perētos
Vidimus, & viuos ad tartara præcipitados.
Ergo tuam meritò Deus exhorrescimus iram,
Flecto genu cordis, tristis suspiria duco,
Et mea concutio singultu pectora crebro:
Eia Deus miserere mei, miserere meorum,
Ne tua nos perdat iustissima quæsumus ira,
Parce precor genti, regno quæ subdita nostro
Hactenus agnouit Dominum me; parce roganti,
Quanquam peccatis sibi conciliauerit iram
Diuinam, meritamq; luat pro crimine pœnam.
Si nos eripies præsentibus hisce periclis,
Summe pater, laudes tibi decantabimus omnes,
Dicemus grates meritas tibi pectore toto,
Et tua per totam vitam miranda stupenda
Facta celebrantes te collaudabimus, atq;
Te solum posthac Dominumq; Deumq; colemus.
Religio valeat prior, & cultura Deorum
Quos colimus; quidnā Dii sunt, nisi sculptile lignū?
Effigies hominum Dii sunt, & saxea moles,
Non audire valent nec respondere precanti,
Et nec res hominum, nec quæ sint inde futura,
Prospiciunt, sed tu solo regis omnia nutu.

Eia

*Eia Deus miserere mei, miserere meorum,
Ne tua nos perdat iustissima quæsumus ira.*

*Orant primates & se peccasse fatentur,
Atq; suis cælum pecudes mugitibus implent.
Infantes deuotè orant, iuuenesq; senesq;
Cælo sustollunt sua brachia poplite flexo.*

*Ad matres pueri accurrunt tristesq; queruntur:
Ab mater cur sic concurrunt vndiq; ciues,
Noster vbi pater est, ciues incedere tristes
Cur capite inflexo, lachrimisq; rigare videmus
Ora genasq; suas, quid turbæ, quisuè tumultus?
An nos occident mater? quid fecimus? ah ah,
Tu nos abscondas, ne miles pessimus hic nos
Arripiat, tu nos defende, manemus apud te;
Absconsos gremio matris nos nemo videbit.*

Pueri.

*Ah ah filioli non militis arma timete,
Non occidendos quærit vos hostica turba.
Iratu's Deus est propter peccata nefanda,
Perdere nos omnes vult fulmine, sulphure & igne,
Mox ventura refert nobis mala tanta Propheta.*

Mater.

*Quid faciendum igitur nobis charissima mater?
Filioli exorate Deum, procumbite proni
In genua, atq; manus ad sidera tollite vestras,
Orate auertat clemens Deus vt mala tanta.*

Pueri,

Mater.

I

Anxietas

Anxietas tanta est qualem non vidimus vnquam;
Nunc est orandi tempus charissima proles,
Nunc insistendum precibus. Pia dicite vota.

Puer primus.

Pater noster &c.

Pater supreme, qui regis
Terram polumq³, filijs
Clemens tuis succurrito,
Nobis precamur parcito.
Non haectenus te nouimus,
Blasphema saepe diximus,
In te precor nomen sacrum
Fac innotescat nunc tuum.
Fac membra nos Ecclesiae,
Quam colligis, simus tuae,
Da regna nobis caelica
Post hic peracta funera.
Tua est voluntas libera,
Quae tu voles haec omnia
Fiunt, sit, oro, promptior
Vultus tuus sit mitior.

Vitam

*Vitam dedisti tu Deus,
Eamq̄ seruas haētenuſ,
Quæ poſſidemus omnia
A te profecta munera.
Ab filios cum patribus
Et filias cum matribus,
Regemq̄ noſtrum cum ſuis
Punire noli ſubditis.
Peccauiſus, peccauiſus,
Iram tuam accerſiuiſus,
Remitte nobis debita,
Remitte peccata omnia.
Preſſoſq̄ noſ & anxioſ
Ad uſq̄ mortem territoſ
Clementer, oro, reſpice,
Minax flagellum proijce.
Ex hiſ pericliſ libera,
Adſiſ tua clementia,
Si noſ pericliſ erueſ
Tibi canemus gratias.*

1 2

Puer

Puer secundus.

Psalmus VI.

*Tu me Deus argue, tu me
Pater optime corripe, sed non
Prorsus tua conterat ira,
Dilectio mitiget iram.
Iustus furor iraq; iusta
Ob plurima facta maligna,
Quæ perfidus ipse patraui.
Veniam precor, ô miserere.
Animus meus æger, & ipsa
Mea territa membra tremiscunt,
Cum maxima crimina noscam
Facientia vulnera mortis.
At tu mea vulnera sana,
Dulces adhibeto medelas,
Clementia me tua seruet,
Pereo nisi tu medearis.*

Eheu

Eheu pater optime cur non
Me supplice voce rogantem
Audis, mihi ferre recusas
Cur auxilium atq; salutem?
Avertere tu mihi visus
Faciem pater, aspice pressum,
Placare Deus mihi, qui sum
Scelerum modò mole grauatus.
Animam eripe quæso periclis,
Miserum tua gratia seruet,
Mea nil bona facta merentur,
Tu tu mihi vita salusq;.
Mibi ne Deus eripe vitam, vt
Celebrem tua nomina viuus,
Non turba canet tibi laudes
Iam mortua iamq; sepulta.
Suspiria tristia duco,
Gemitu mea membra tremiscunt
Lachrimis mea strata rigabo,
Singultibus impleo lectum.

I 3 Facies.

*Facies mea concidit atq;
Vultum mihi ruga senilis
Arat, heu premor anxietate
Cruciatibus vndiq; septus.
Discedite vos inimici,
Lachrimas Deus excipit istas,
Dominus mea vota precesq;
Audit, iuuat, eripit, adstat.
Confusio sit faciei
Aduersa precantibus, atq;
Pereat malè perfida turba
Successibus inuida nostris.*

Puer tertius.

Da pacem Domine &c.

*Pacem tuam da quæsumus
Nobis pater sanctissime,
Sedato turbas, reddito
Tranquilla nobis tempora.*

Solus

Solus potes defendere,
Solus vales auertere
IncurSIONES hostium
Et arma saeva militum.

Pater nisi pugnaveris,
Aras, focos, defenderis
Nostros, perimus funditus,
Euertimur radicitus.

Pugna pater, manum tuam
Extende iam fortissimam,
Factos tibi nos supplices,
Oramus, audi, protege.

Serua pater mitissime,
Serua tuos clientulos,
Defensionem qui tuam
Crebris petunt suspirijs.

Audiit orantes lugubri voce querentes
Regem cum populo, lachrimas miscere querelis,
Aspexit Dominus proceres incedere curuos,
Prostratos ad terram omnes miseros, sua pressis
Flebilibusq; modis mala deplorare gementes,
Dum sua concutiunt singultu pectora crebro.

*Vrbis totius facies tristissima qualis
Non fuit, agnoscunt missam diuinitus iram.
Pœnituisse videns Dominus peccata remittit,
Atq; minax clemens cohibet retrahitq; flagellum.
Rursus ad ingenium rediens fugit illico Ionas
Ad montes procul, vt possit vitare periculum,
Quod paulò antè vrbi prædixerat esse futurum.
Ædes exiguas paruo de cespite ibidem
Congerit, hîc habitat cupiens cognoscere tandem
Euentum rerum. Subitò (mirabile dictu)
Nascitur ex terra ramosa cucurbita, germen
Perpulchrum, faciens folijs & frondibus vmbra
Atq; refrigerium capiti perdulce Prophetae,
Ne Sol immixtis macerans languescere membra
Efficeret radijs. Hic gaudia mille Propheta
Concipit, & veluti Regis dominatur in aula,
Exultat dum flore videt circumdata tecta,
Exstructamq; domum pictisq; tapetibus aulam
Ornatam censet;regali gaudet honore.*

*At subitò quod fit subito perit, aula repente
Regia flaccescit, dum vermis perderet herbam,
Radicem arrodens, tum pieta tapetia florum
Et decus omne iacet, cæpit flaccescere Ionas,
Dum Sol intenso radios immitteret æstu.
Iratu vates quòd florem amiserat illum
Et quòd sentiret torqueri fulmina nulla;*

Claros

aros ire dies, cælumq; ostendere vultum
Pacatum, quòd decretum mutauerit, & quòd
Placatus Dominus populo proiecerit iram,
Nunc, inquit, mendax falsusq; Propheta vocabor.
Atq; erat hæc mihi caussa fugæ, cū trans mare cur-
Arguere Assyrios nolebam, Namq; ego noram (rēs
Clementem esse Deum, mitem te, longanimumq;
Nunc ergo optarem potius me morte peremtum
Quàm deridendum me exponi gentibus illis.
Tūm Dominus. Iustam quòd commouearis ad iram
An credis Iona? hoc germen succreuit in vna
Nocte, vna rursus flaccescens concidit, & nec
Herba labore tuo nata est, nec eam tua finxit
Dextra, An non hominum tam millia multa dolerē
Pessum ire, & viuos ad tartara præcipitari?
PVNIO PECCANTES, CONVERSIS
MITIGO POENAS.



I 5 HYMNVS

Hymnus in natalitijs Domini,
COLLOQVIVM DVO-
rum Pastorum ex Capite 2 Lucae,
qui post auditam concionem angeli
Bethlehem pergunt ad visendum
recens natum puerum.

Potest cani melodia Cantici
Won Himel hoch etc.

Pastores ambo.

Canamus heus encomia
Nostro Deo gratissima,
Qui nos docet per angelum
Dulcissimum Euangelium.
Cunas tuas inquirimus
Præsepiumq; accedimus
Iesu puer dulcissime
Mundi redemptor vnice.

Pastor

Pastor primus.

Dic quæso mi fratercule,
Cur rege spreto & principe
Nos eligit miserrimos,
Pressos & abiectissimos.

Mundo quod est vilissimum, *Pastor II*
Istud Deo gratissimum.

Nemo est Deus quem despicit,
Et pauperes dum respicit.

Frater quid ergo cœlitus *PAS: I.*

Annunciabat angelus,
Audire iucundissimum
Delector istud nuncium.

Ab dulciora nectare *PAS: II.*

Verba angeli, Deponite
Omnem timorem, protinùs
Cedat pavor de cordibus.

Quis non timeret angelum, *PAS: I.*

Lumen vidensq; fulgidum?
Miror profectò territos
Non esse nos demortuos.

Annuncia-

Annuncio Euangelium PAS: II.

*Magnumq; vobis gaudium,
Nam maius orbe à condito
Hoc extitit nil nuncio.*

Terrena quid sunt gaudia, PAS: I.

*Si multa viuas secula?
Deus tibi si fauerit*

Nullus pavor te leserit.

Continget istud omnibus PAS: II.

*Quod nuncio iam gentibus,
Annunciatur diuiti,
Communicatur pauperi.*

Nec diuites, nec pauperes, PAS: I.

Nec nobiles, nec principes

Contemnit, est sed omnibus

Idem Deus credentibus.

Sed vnde tantum gaudium? PAS: II.

Natus redemptor omnium

Iesus Mariæ virginis

Patrisq; summi filius.

Virgo

Virgo quòd est puerpera, PAS: I.
Præbet Deo quòd vbera,
Quòd factus est homo Deus,
Hæc mira res est omnibus.

Saluator (inquit angelus) PAS: II.
Est vester ipse Iesulus,
Rex vester unctus balsamo
Qui regnat omni seculo.

Purgare nos à crimine, PAS: I.
Regnare cuncto tempore,
Beare nos, quantum bonum?
Quod dat Deus per filium.

Accedimus domunculam, PAS: II.
Quæ continet puerperam,
Natum recens infantulum,
Datumq; nobis Iesulum.

Ab, ab, vide quàm blandulus PAS: I.
Ridet puer formosulus,
Viden manum quòd porrigat
Amare se nos indicat.

Ab

Ab si liceret tangere,

PAS: II.

Vlnis meis imponere

Infantulum pulcherrimum,

Longèq; iucundissimum.

Dabo puello basium,

PAS: I.

Iesu meum tu corculum,

Tu sola spes credentibus

Summi parentis filius.

Pastores ambo.

Tibi pater, qui nos amas

Homunciones perditos,

Per filiumq; liberas,

Semper canamus gratias.

F I N I S.

VI.

I.





38 $\frac{14}{K, 17}$

X 2200564₅₁₀





6
ORATIVNCVLA
DE REVEREN-
DISSIMA ET GENERO-
SISSIMA DOMINA ANNA, PIAE
memoria, Collegii Quedlingburgensis Ab-
batissa, Comitissa Stolbergense: & de histo-
riis quibusdam sub initium repur-
gate doctrinae caelestis Qued-
lingburgi factis.

Adjecta est Historia Ionæ Pro-
phetæ, Heroico metro explicata: &
alia quædam Epigrammata.

Autore

M. MARCO SCVLTEO
Pastore Quedlingburgense.

VITEBERGÆ
In Officina typographica Simonis Gronenbergii.
1 5 8 1.